


Casp.
Hofman
nus de
1639








C. Hofm.
Vir. Clariß.
Casp.
HOFMANNVS
de
USU
LIENIS.
CEREBRI
et de
ICHORI-
BVS.
Aristoteles
Galenus
LUGD. BATAVORUM,
Apud Franciscos Hegerum et Hackium. 1639.

Amplissimis & Prudentissimis Viris, DD. Consulibus, Consularibus & Senatoribus Reipub. Gothanæ DD. & Patronis meis observandissimis.

CASP. HOFMAN.

S. P. D.

Cum libellum de usu lienis publicare vellem, Ampliss. & Prudentiss. Viri, Domini & Patroni observandissimi, non debui per longas ambages ire, & solicite quærere, Cui aut quibus illum dicarem? Vos enim ii estis, sub quorum umbra non tantum solem hunc aspexi, sed & in vera & sincera pietate institutus, sub Rectura primum Reverendi olim & Clarissimi Viri, D.M. IOANNIS DINCKELII, Superintendentis postea Generalis Coburgi, deinde, Reveren-

verendi item & Clarissimi Viri, D.M. IOANNIS HELDERI, Superintendentis nunc vestratis, Præceptorum meorum, affectu filii colendorum, didici homo esse Christianus. De quorum alterutro aut utroque si apud vos nunc dicere vellem, incurrerem merito reprehensionem abutentis otio, non tam suo, quam illorum, qui, ad clavum Reip. sedentes, habent, quod agant, plus satis. Hoc autem de me profiteor, prædicoque candide, nullam mihi illucescere diem, qua non cogitem de utroque, & toto animi impetu ferar in vos, vestramque Remp. De cujus ornamentis aliis ut non dicam, Quantum est celeberrimum istud Gymnasium, cui præsident modo summa cum sua laude, vestroque inprimis honore, Clarissimi & Præstantissimi Viri

D.M.

D.M. ANDREAS WILKIUS, &
D.M. IOANNES WEITZIUS,
Domini ac amici mei honorandi!
Hujus alumni quanta cum dignitate verſentur in Academiis, tot habetis ab Illuſtri SALANA, aliiſque teſtimonia luculentiſſima, quot cumulare heic nec poſſum, nec debeo. In quo cum ego etiam hauſerim principia illa, quæ poſtea in Academiis Germaniæ & Italiæ adeo mihi fuerunt uſui, ut liquido jurare poſſim, Abſque his ſi fuiſſet, nunquam quidquam ſolidioris doctrinæ percepturum me fuiſſe: omnium hominum impiiſſimus forem, ſi non teſtarer, per quos profecerim. Vos igitur cum illi ipſiſſimi ſitis: vobis etiã primum hunc meum laborem inſcribere & conſecrare debui. Facio id autem nunc, &, cum omni obſervantiæ cultu, duo à vobis

bis peto, contendoque. Alterum, recipiatis hunc partũ meum fortean immaturum in tutelam vestram, &, non secus ac civem vestrum, Casp. Hofmannũ tueamini. Alterum, persuadeatis vobis, me porro etiam enisurum & elaboraturum, perfecturumque denique, ut nemo me degenerem vestræ urbis, vestræque scholæ alumnum culpare possit. Bene valete, & cum bono publico, Amplissimi & Prudentissimi Viri, Domini & Patroni observandissimi. Altorfii. Nonis Aprilis, M. DC. XV.

LECTORI S.

Cum ante hos decem annos LECTOR, *& quod excurrit, Romæ forte fortuna incidissem in Artem Medicam* ANDREÆ CÆSALPINI, *jam tum ab operis Typographicis calentem adhuc: excitus celebritate nominis, scriptorumque, quæ is autor antea publici juris fecerat, amœnitate juxta & utilitate, cœpi librum in ipsis etiam itineris molestiis avidissime percurrere. Ibi vero cum intelligerem docere illum inter alia, Medicinam nostram Hippocraticam cum principiis Aristotelicis melius consentire, quam cum Platonicis; Galenum etiam, qui hæc prætulisset illis, excoluissetque, multas in artem seminasse difficultates, quæ plurimum facessant negotii: parum abfuit, quin omnem de novo opere conceptam opinionem abjicerem. Quos enim tum Patavii habebam præceptores, inter quos honoris causa nomino,* D.D. Hieronymum Fabricium *ab Aquapendente,* D.D.Herculem Saxoniam *de Marimpettis*, D.D.Joa.Thomam Minadoum, D.D.Julium Casserium, *Placentinum &*

D.D.

D.D. Franciſcum Mantellum, *dictum* Campanam: *Sciebam contra ſentire. Et quia non tantum plurimum amabam illos, ſed & admirabar: erat mihi pro ratione autoritas. Quo factum eſt, ut contentus Catone meo* Galeno, *inquam, de* Ariſtotele *parum cogitarem. Accedebat, quod vir incomparabilis, præceptor item meus obſervandiſſimus, ὁ ἐν ἁγίοις nunc* D.D. Philippus Scherbius, *diſcedenti mihi, viatici loco dederat, Non immergerem me nimis profunde controverſiis, quas vocamus, Theoreticis: ſed exercerem me potius in Practicis, ibiq; laudem aliquam quærerem. Verumenimvero cum redeunti in Germaniam* Deus *opt. Max. locum mihi paraſſet (quod totidem pene verbis in ultimis ſuis ad me prædixerat ille idem* Scherbius) *in Academia hac Altorfiana: factum eſt, ut præter votum à Practicis ad Theoretica vocatus, altius inſinuare me debuerim in illam Medicinæ partem quam non niſi levi brachio tractaveram antea. Quod ut contentius agerem, tria valde me urgebant. Primum, Collegarum & amicorum in eodem negotio ſtudium. Cum enim ſæpicule oſtenderent mihi apud Ariſt. quæ ineſſe ne per ſomnium quidem viderã antea: non potui non ſæpe mutare*

ſenten-

ſententiam ad palinodiam uſque. Deinde, Adoleſcentum quorundam, qui tum auditorium meum frequentabant, excitatiſſima ingenia. Cum enim illi Ariſtotelem haberent præ manibus; & religio mihi eſſet proponere aliquid, quod non ſatis bene cogitatum eſſet & examinatum: debui profectò Ariſtotelem jungere Galeno. Tandem, veritatis aureum jubar. Illud enim cum ſubinde mihi præſtringeret oculos; & dignum exiſtimarem, ut qui Philoſophi nomen juxta cum Medici ambit, ex Naturæ potius libro, quam ex hoc illove diſcat, doceatve: incepi ſeponere inania hominum terriculamenta, & diſpicere, Non quid hic velit, aut ille, ſed quid ipſa Natura. Interim, ſi hujus vocem ſecutus eſſet hic vel ille, ſequebar & ego, non quod teſtis ille mihi ſufficeret, ſed quod viderem, habere illum firmas rationes, ut de Hippocrate loquitur quodam loco Galenus. Eo in ſtadio cum per aliquot annos cucurriſſem, de Cæſalpino *aliter judicare didici, & fateri, Ariſtotelem in obſcuro illo, tantumque non maligno Anatomiæ lumine plus aliquando vidiſſe, quam Galenus, & qui hodie illum ſequuntur longiſſimo agmine Anatomici in manifeſta ejus luce. Vt libuerit mihi aliquando comparare*

parare oculos Aristotelis cum Tyberii, Imp. & duorum Scaligerorum, quorum alia fuit natura, quam cæterorum mortalium, ut Plinii verbis utar: Galeni autem (absit injuria dicto) cum promiscua hominum multitudine. Et utinam non evenisset illi, quod sectæ alicujus servitio addictis evenire ait ipsemet, Quod studio suorum gregalium, non surdi tantum, sed & cœci fiant! Vtinam ipsi etiam non incurrisset Adrastiæ vindictam, quam iisdem tam non esse evitabilem docet, ut non possint non aliquando veritati testimonium dare, quantumvis inviti! Hæc tamen, & si quæ alia dici possunt, non debent illi fraudi esse, quominus sit & maneat, qui per tot secula apud omnes cordatos fuit meritissimo suo. Difficile enim cum sit (sunt hæc ipsius de Archigene verba, & usurpat Trallianus in simili negotio) ut, qui homo est, non in multis peccet, quædam penitus ignorando, quædam male judicando, quædam negligentius scribendo: quis neget, Galeno perinde ac aliis contingere tale quid potuisse? Postquam autem contigit, ipsa veritatis excussio non debet Galeno esse molesta. ἀδήλων γὰρ ὄντων τῶν δογμάτων, *inquit ipse: utar autem ejus lingua, quæ magis penetrat,* καὶ

τῇ διὰ τοῦ λόγου πίστει τοῖς μὲν πιθανῶν, τοῖς-δὲ ἀπιθάνων φαινομένων, ὥσπερ τὸ τοῖς δόξασιν ἀληθὲς εἶναι συναγορεύειν, ἀνεμέσητόν ἐστιν· οὕτω καὶ τὸ συγχωρεῖν ἑτέροις ἀντιλέγειν αὐτοῖς. Τὸ δὲ σκώπτειν καὶ καταγελᾶν, ὡς ἠλίθιον, ὃ δογματικῶς ἀμφισβητεῖται, προπετές. *Quod ita intelligo.* Cum de re aliqua ambigitur, & argumenta ſunt in utramque partem, quorum hæc illam faciunt probabilem, hæc illam: ſicuti tum ſuccenſere non oportet illis, qui veritatem ſe defendere dicunt; ita iidem ægre ferre non debent, ſi quis illis contradicat. At vero ſubſannare, & tanquam fatuum eſſet irridere tantum, quod in quæſtionem venit, hominis eſt temerarii. *Hæc ille: quibus fretus, auſus ſum ante hoc biennium hanc audaciam, ut contradicerem Galeno, ſcriptis de uſu lienis theſibus ſecundum Ariſtotelem. Quæ cum hinc inde ad V.V. Clariſſimos & Excellentiſſimos, qua Philoſophos, qua Medicos itaſſent, periclitaturæ, Poſſentne ſolis jubar ferre? non pauca etiam interea occurriſſent mihi notatu in eam rem digna: confirmatior factus, cœpi ſtamini illi ſubtegmen dare. Quo in opere ſi quæris, Quibus ſubſidiis uſus fuerim? mentior, ſi cum Epicuro jactavero, Meipſum*

mihi-

mihiipſi fuiſſe mihi magiſtrum. Doctores enim habui numero plurimos, doctrina præſtantiſſimos, autoritate graviſſimos. Horum indicem ſi à me poſtulas, fruſtra es. Nunquam enim potui probare inſtitutum illorum, qui in veſtibulis librorum ſuorum conſignationem ponunt bibliothecæ ſuæ. Cui enim rei illud? Pictor olim quidam, Zeuxis, credo, interrogatus, Quis ei magiſter artis contigiſſet? populum oſtendit, ſignificans, inde ſe rationem ſymmetrias, elegantiarum, venuſtatumque omnium didiciſſe. Et ipſi ſunt anni 18. cum plaſten quemdam, ad cujus opus, Canone Polycleti digniſſimum, confluebant omnis ſexus & conditionis homines, audivi dicere, Nunc quidem fruſtra ſibi adeſſe tot Cupidines, Venereſque, poſtquam ſcilicet Memoriam (ita appellarat) genuiſſet: optaſſe factum fuiſſet ante conceptum, ut ex intuitu bellarum illarum formarum licuiſſet ſibi accipere, ex alia ideã marmoreæ frontis, ex alia flammantium oculorum, ex alia eburnei colli, ex alia roſeorum labellorum, ex alia ſororiantium mammillarum, ex alia alius partis. Et ego igitur ſi à me quæratur, qui mihi heic præceptores fuerint? oſtendam hanc non uſque adeo magnam librorum ſuppellectilem,

lem, ostendam Ms. quædam, ostendam literas amicorum, ostendam quin etiam amicos quosdam, quorum omnium opera factum est denique, ut nasceretur mihi hoc, quod vides, σύνταγμα. In quo quid præstitum sit malo te judicare, quam me. Vt enim, quod Epictetum dixisse ferunt, oves, in pinguia pascua eductæ, non gloriantur adversum pastorem, plurimo se & gratissimo saturatas esse gramine, sed lac potius, vellusque ei præbent: ita meum non est, quidquam aliud heic dicere, facereve, quam fructus studiorum meorum in medium proferre. Ita autem mihi persuadeo, Bonos & sapientes non improbaturos consilium meum, quod non eo spectat, ut præ aliis sapere videri velim, sed ut juvem publicum commodum. Qua in re si minus feliciter versatus sum: non ego afferam excusationem aliam, quam ingenii mei judiciique exilitatem. Nullus enim dubito, contigisse mihi quod aliis usu venire solet, ut in scriptis suis, dum nova sunt, relegendis facile obaudiant aliquid, conniveantque ad nævos quosdam, certi apud se, opiniones, quas fovent, veras esse, & exploratas, quin demonstrative doctas, cum fortassis vix probabiles sint. Hoc ni ita fieret, non haberemus illud à Flacco præceptum,

--non-

— nonumque prematur in annum.

Tale quid ſi monuerit quiſpiam, tantum abeſt ut ægre ſim laturus, ut etiam gratias gratas acturus. Tam enim ſum diſcendi avidus nunc, quam eram cum Lienem in manus ſumerem: tam etiam facilis ſum ad reducendum calculum, quam eram ad dandum. συγγνώμη γὰρ ἀνθρώπῳ γε ὄντι καὶ ἁμαρτάνοντι ὡραῖόν τι, *inquit alicubi Galenus. Sed auferat ille mihi convicia.* λοιδορεῖν, *inquit feſtiviſſimus Comicorum,* καὶ λοιδορεῖσθαι οὐ χρὴ ποιητὰς (*mutabo ego in* φιλοσόφους) ἄνδρας, ὥσπερ ἀρτοπολίτας. *Feci, ni fallor, ipſe, niſi ſicubi Adverſarij importunitas ſequius aliquid extudit. Nam, licet mihi contra Galenum diſputare: Galenum conviciari mihi non licet. Licet, credo, etiam Galeni conviciatores perſtringere: ſine tamen morbo animi. Hujus me licentiæ voluntatiſque cauſam affero bonum publicum, & alterum quidem Philoſophicum, alterum Medicum. Philoſophicum eſt, quatenus Medicinam remur eſſe filiam Philoſophiæ. Quare æquum eſt, ut matris veſtigia calcet filia. Illa autem ſi ingreſſus eſt hic, deſeruit ille: quid cauſæ eſt, cur non protinus ſequamur illum, deſeramus hunc? At ſæpe, inquis, tantum*

profi-

proficis, quantum si equo des aureos frenos pro ferreis? Quorsum enim quæstiones illæ Logicæ? Sæpe quidem ita est: at non semper. Sed & ubi ita est, an non præstat verum defendere, falsum repudiare? sumus enim Philosopho-Medici. Tum vero si ex veris fundamentis Philosophicis exsultent veræ, quas dicimus, indicationes: an non fateberis, jam hoc esse Medicum commodum? Exemplo sit hoc ipsum, quod agimus. Si nescis, in liene fieri coctionem aliquam: nescis etiam lieni mederi. Quomodo enim restituere potes lieni actionem suam, si nescis, Quæ sit illa? Porro, si nescis fieri in liene excrementum tam ἑτερογενὲς: queî potes recte curare morbos, qui hinc exsistunt? Quod dum doceo & quidem sine contumelia veterum, immo cum veterum autoritate, quam stabilit praxis quotidiana: jurene audio desertor veterum, quique occasionem præbeat Paracelsistis invadendi patrimonium Galeni? Fortean Galenus solus est in possessione priscæ sapientiæ? & somnium est Aristoteles? Fortean juravimus in verba magistri, ut sine perjurio non liceat nobis illum deserere? Fortean: Sed quid opus est verbis? Rectissime enim Scaliger pater,

Quo te ambulando cunq; vertis gentiũ,
Vitare non est disputatorum genus
Pugnax, protervum, fastuosũ, garrulũ.

Finem igitur faciam ubi hoc tantum dixero, usum me esse heic dicendi genere plano, ut mihi patior persuaderi, perspicuoque. Quod ipsum si tersum minus est & limatum, cogitabis illud, Quemadmodum qui in sole versantur, colorantur quamvis nolint: ita accidere volutanti autores alios omnes potius, quam dicendi magistros. Habes, LECTOR, *rationem facti mei quam si cum facto ipso probaveris, forte ansam mihi dabis proferendi* CUM DEO *gratiora quædam, quæ jam affecta habeo. Vale.*

CASP.

CASP. HOFMAN. M. D.

DE VSV LIENIS.

Historia Lienis.

CAP. I.

Quod Græcis σπλὴν est, ἀπὸ τοῦ σπᾶν λίαν, ut video placere istis: id Latinis (quamvis ji etiam Græco utantur) *Lien* est, & antique *Lienis*.

Et quemadmodum apud Plinium & alios non raro invenire est *Iecinora*, vel *Iocinora*; de uno tamen & solo jecore: ita etiam σπλῆνες inveniuntur. Neque quidquam impedit, quod 2. *Epid.* 2. *de Lyciâ*, 4. *Epid.* 10. *de quibusdam in constitutione Boreali*, 4. *Epid.* 87. *de fœminâ in Bulagoræ villa*, 6. *Epid.* 6. *de homine defatigato laboribus & itinere, & alibi*

 forte,

forte, dextrum & ſiniſtrum lienibus tribuitur. Pertinet enim id ad dextras & ſiniſtras lienis partes, quarum modo has, modo illas fuiſſe inflammatas tumidaſve, Hipp. ſcribit. Cæterum, τὸ σπληνῶες fere ſignat lienem, in tumorem præter naturam elatum, velut etiam linea illa, vulgo σπλήνια dicta.

Situs eſt in abdomine ſeu imo ventre, è regione hepatis. Quamobrem 3. *part*.4. dicitur ἀντίζυγος τοῦ ἥπατος. Eſt autem regio illa non plane è directo, ſed paululum inferius. Neque tamen, ut de non diſſimili negotio Gal. ait 6.*uſ. part*.6.pugnat hæc oratio, Lien eſt è regione, Lien non eſt plane è regione: ſed paululo momento declinat verſus inferiora. Ut igitur *hepar* in dextro eſt latere, concavum ſuum obvertens concavo lienis: ita *lien* in ſiniſtro eſt, concavum ſuum obvertens concavo hepatis.4. *uſ. part*.16. Non autem, ut hepar procedit verſus ſiniſtra adeo, ut ultra mediam abdominis partem perveniat, tegatque ventriculi maximam partem: ita etiam lien: Si enim cum hepate compares, exilis eſt, qui tantillum ventriculi tangit. Non etiam, ut hepar firmiſſime adalligatur dia-

phrag-

phragmati, ut diaphragmate moto, non possit non simul moveri: ita quoque lien. In plerisque enim omnibus non alligatur diaphragmati, & in paucis quibusdam, in quibus fit, superficialiter fit duntaxat. Et quamvis præ hepate oblongus sit: non valde tamen prominet extra costas nothas, ut tactu sentiri non possit, nisi insigniter sit auctus. Fuerint ideo fortassis observanda, quæ in hepatis obstructionibus observare jubet Gal. 5. *Loc. aff.* 7. & ῥαδίως illud, quod primis verbis 6. *Loc. aff.* habet, explicandum, si insignis sit durities, tum facilem esse cognitionem, quæ ex tactu sumitur. Licet enim in specie videatur ibi loqui de inflammationibus: causa tamen, quam allegat, durities, facit sermonem generalem.

Numero *unus* est, nisi hepar dicere malis ejus conjugem, ut ex 3. *part.* 7. disputabitur infra.

Conformatio ejus, ut aliorum etiam, consistit in tribus, in figura, cavitatibus & superficie.

Figuram perinde ut hepar, non habet propriam, sed quam vicinæ partes permittunt, & vasa integenda postulant. Aristoteles ob id 3. *part.* 13. docet,

in cornigeris *rotundum* esse, in multifidis *longum*, in solipedibus, *medio inter hos modo* se habere Hippocrates *l. de Anat.* Lienem, ait, esse *similem* ἴχνει ποδὸς, *vestigio pedis humani*, ut explicant: at hoc in cane verum esse docent Anatomici, non in homine. Iidem asserunt, de eodem cane, non de homine veram esse similitudinem, qua *linguæ* comparatur lien, & ob id *viscus linguosum* à nonnullis appellatur. Habet autem in homine, ut dictitant iidem, figuram fere quadratam. Dico, *fere*: superior enim pars paulo latior est: tum vero etiam longitudo superat latitudinem. Talis igitur est propter adjacentes partes. Propter diaphragma quidem capite est exterius gibbo, ut concavum ejus excipere posset: propter ventriculum autem, non tantum concavus est interius, sed & oblongus, ut nuditatē ejus tegeret. Et quia idem ventriculus relinquit illi exiguum spacium in sinistris, ut prosit, non obsit: plurimum cedit versus costas, ut duas, sæpe tres, aliquando quatuor impressionum notas ab illis accipiat. Quin talis etiam est propter vasa. Hæc enim, pro copia aut paucitate sua, magnum vel parvum

faciunt

faciunt viſcus. Eſt autem hac in re multo major varietas, quam in hepate. Quia enim hepar eſt ſolidum: non tam facile augetur, mutatque figuram. At lien quia rarus & ſpongioſus eſt, mirifice variat. Loquor autem heic de ſtatu ſecundum naturam: de ſtatu enim præter naturam alius eſt ſermo.

Cavitates, iterum veluti in hepate, conſtituunt venæ & arteriæ, quarum hæ ab Aortæ trunco deſcendente, illæ à vena portæ ſunt. *Aortæ* enim *truncus* ille, quem dixi, poſtquam ad Meſenterii regionem venit, duos de ſe mittit ramos ut plurimum, dextrum & ſiniſtrum, quorum alter in ventriculum (unde totum hoc appellatur *Cœliaca*) & vicinas partes abit, alter in lienem abſumitur. *Vena* autem *portæ*, poſtquam cavis hepatis excidit, in duos prægrandes ramos dividitur, dextrum ſeu majorem, qui Meſenterio tribuitur, & vocatur inde *Meſentericus*, & ſiniſtrum ſeu minorem, qui cum in ſplenem abeat, *Splenicus* dicitur. Et hic ramus eſt ille, de quo Ariſtot. 1. *Hiſt.* 17. ἀπὸ τῆς μεγάλης φλεβὸς τείνει φλὲψ εἰς τὸν σπλῆνα. Hic idem apud Gal. *de Anat. ven.* 1. τῶν ἀξιολόγων ἀποφύσεων τῆς ἐπὶ πύλας φλεβὸς,

δευτέρα ἐστὶ, & 4. κεφ. *part.* 4. καὶ 15. ἀγγεῖον φλεβῶδες, οἷον στόμαχός τις dicitur. Utrumque hoc vas, Vena, inquam, & arteria, antequam Lienem tangant, propagines aliquot de se mittit, de quibus alibi: sed postquam tetigerunt, in linea alba (de hac dicetur mox) in minimas tantumque non innumerabiles venulas & arteriolas dirimuntur, ut jam non vasa, sed fibræ videri possint, itaque per substantiam lienis, ordine nondum satis cognito, disperguntur, multa intus relicta cavitate, quemadmodum neque in hepate relinquitur à venæ cavæ & portæ ramulis. Ut benignè interpretandus sit Hipp. cum *l.4. de Morb.* Lienem juxta cum capite docet esse κοιλότατον καὶ ἔγκοιλον, εὐρυχωρίην πλείστην ἔχειν, φλέβας ἀραίας καὶ παχείας, καὶ ἑλικοειδεῖς ἔχειν, &c. Cavitas enim heic sola est illa, quam faciunt vasa, ea tamen adeo exilia, ut stylum non admittant. Non degenerare autem in fibras, sed manere vasa, docet hoc. Aliquando ex substantia lienis sursum quidem exit vas *breve* dictum ad ventriculum, deorsum autem Hæmorrhoidales aliquot ad colum & rectum intestinum. Hoc ipsum aliter fieri non posse, quam collectis vasis

vaſis illis minoribus in majora, ratio perſuadet. Dixi autem *aliquando:* quia Gal. de vaſe brevi *de Anat. ven.*1. expreſſe docet, Non ſemper ex ſubſtantia lienis, produci, ſed aliquando ex ramo ſuperiore ſplenico illo, qui, ut alibi dicitur, lienem non ingreditur. De hæmorrhoidalibus (internis: Externæ enim aliunde ſunt) video dicere quoſdã, ſemper decidere ex ſubſtantia lienis: quoſdam, ſemper à ſplenico, antequam is lienem ingreditur. Hoc ita intelligo, aliquando fieri hoc, aliquando illud. Omnes enim pro bonis viris habeo, qui ſcripſerint, quod viderint.

Venis & arteriis cohærent *Nervi*, quippe qui ipſi etiam ſub vaſorum nomine ſunt. Habet autem lien nervum valde exilem, à ſextæ conjugationis cerebri coſtali ſiniſtro, qui in tunicam tantum inſeritur, non in ipſam ſubſtantiam, propter cauſam à Gal. dictam. 5. *uſ. part.* 10.6. *uſ. part.* 18. *de pleth.* 4. ut dolor gravativus, qui aliquando ſentiatur in hoc viſcere, non ſit viſceris ipſius, ſed tunicæ tantum.

Superficies exterior æqualis eſt tota, niſi ubi coſtarum impreſſiones ſunt. *Interior* tota etiam æqualis eſt, niſi qua

parte Linea alba visitur. Est autem *Linea alba* vestigium illud, quod per totam lienis longitudinem faciunt venæ & arteriæ, substantiam lienis ingredientes. Non est tamen vel exterior vel interior ejus superficies tam æqualis. quam hepatis est. Ibi enim exactus est lævor, ob succi sui æqualitatem & lævorem: heic cum tuberculis quibusdam est, ob succi sui inæqualitatem, de qua inferius plura. Hæc tubercula faciunt, ut lien tam similis appareat cuti Elephanticorum, seu leprosorum nostrorum, ut Vesalius dicat, videri posse, Elephanticos esse factos ex meris lienibus. Idem succus, qui inæqualitatem hanc causatur, causatur etiam coloris ab hepate differentiam quandam, qua de ex eodem Vesal. infra.

Substantiam Lienis constituit caro ipsius, quæ non minus παρέγχυμα, quasi tu dicas περιέκχυμα, est, quam in hepate. Differt tamen, I. Quod longe laxior & mollior sit carne hepatis, 13. *Meth.* 16. *& alibi.* II. Quod non semper, ut hepar, colorem habeat rubrum:|sed in recens natis tantum. In provectioribus enim ad livorem tendit, ut promisi me dicturum ex Vesalio. Ea ipsa tamen

men

men in re differentia eſt ſecundum ſpecies animalium, ut ex Gal. 6. *Exerc. Anat.* 10. *de Atrab.* 7. conſtat.

Carnem hanc fulcit *tunica* ſatis tenuis, à Peritonæo orta, quæ, monente Gal. 4. *uſ. part.* 16. etiam ligamenti uſum illi præbet.

Connectitur ipſe multis partibus, ſed aliis mediatè, aliis immediatè. *Immediate* connectitur peritonæo propter tunicam, de qua jam, nec non omento, ſimæ illius parti innato. *Mediate* cohæret lumbis per peritonæum, ventriculo per omentum. Præter hæc διαφύσεις quaſdam fibroſas habet, ut Gal. 4. *uſ. part.* 16. nominat, quæ neque magnitudinem, neque multitudinem in omnibus eandem habent. Sed & ſecundum ſpeciem differentia quædam in iis eſt, ejus rei gratia facta omnes ut colligent. Quare pro cujuſque animalis exigentia, plures ſunt, vel pauciores, fortiores, vel imbecilliores, locis vel oppoſitis ſibi invicem, vel incertis, &c. Hæc ut clarior ſit doctrina, 6. *uſ. part.* 1. 7. *uſ. part.* 3. attuliſſe ſufficiat ex Anatomicis Exercitiis.

Quot & quæ ſint ſententiæ de uſu Lienis.

CAP. II.

Iam ut *uſus*, de quo propoſitum eſt agere, fiat quam manifeſtiſſimus, oportet ante omnia videre, Quid anteceſſores noſtri ſenſerint?

Ut initium faciam ab eo, qui omnis boni autor nobis fuit, 1. *ad Glau.* 1. cum is lib. *de ſem.* quatuor ſtatuiſſet humorum ſpecies, αἷμα, χολὴν, ὕδωρ καὶ φλέγμα; repetiiſſet etiam bis 4. *de Morb.* mox cuilibet tribuens peculiarem locum, τοῦ ὕδατος, aut quomodo ibi appellat, τοῦ ὕδρωπος πηγὴν ait eſſe τὸν σπλῆνα. Et poſt aliquam multa, ducto argumento à ſtatu præter naturam, ad ſtatum ſecundum naturam, Νῦν δὲ ἐρέω, inquit, περὶ ὕδρωπος, ὥστε καὶ διότι πλείων γίνεται ἐν τῷ σώματι, καὶ ὅκως ἕλκει ὁ σπλὴν εἰς ἑωυτὸν ἐκ τῆς κοιλίας τοῦ ὕδατος, καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸν σπλῆνα. Καὶ ἢν πλεῖον εἰρήση

τοῦ

τοῦ καιροῦ, πονέειν αὐτίκα τὸν ἄνθρωπον. Καὶ τοῦτο εἰσαεὶ γινόμενον ὁκόσοι σπληνώδεες τῶν ἀνθρώπων. Non dissimilis locus est *lib.* 1. *de Morb. mul.* ubi inter cætera ait: τὸν σπλῆνα διασπᾶν ἀπὸ τῆς κοιλίας πρὸς ἑωυτὸν (aquam in siti bibitam) ἅτε ἀραιὸς ὤν, καὶ σπογγοειδὴς, κείμενος κατὰ τὴν κοιλίην.

Verum enim vero quia idem 1. *Nat. hum.* 4. 18. *& seq.* recensens quatuor humores, loco ὕδατος habet μέλαν καὶ μέλαιναν χολὴν, dicine potest, tam diversa nomina signare rem eandem? Dici prorsus potest. Cum enim id, quod lien trahit, sit valde heterogenes (crassum enim quod loquitur τὸ μέλαν, opus habet multo tenui, quod pro vehiculo illi sit) ut infra latius patebit: sortiri potest nomen, modo ab hac parte, aquea scilicet, modo ab illa, terrea scilicet.

Cæterum, quid fit apud Hipp. illa vel Aqua vel Terra, ubi à splene attracta est? Docet id Valles. 2. *in* 6. *Epid.* 32. *&* 33. fit, inquam, inde sanguis ἰχωροειδὴς καὶ λεπτὸς, similis, ut ipse explicat lacti vitioso, quod, destitutum parte pingui & butyrosa, abit fere in caseum & serum tantum. Vnde colligitur,

tur, ipſum etiam ſanguinem eſſe heterogeneum, Aqueum ſcilicet, ſed cum multa fœculentia. Ideo alibi docet idem Valles. Lienem non nutriri craſſo illo, quod trahit, ſed tenuiſſima craſſi illius parte.

Hinc explicare oportet Ariſtot. aut quiſquis autor fuit Problematum. Cum enim ibi *ſect. 9. probl. 5.* dicit τὸ σπληνιώντων αἷμα eſſe ὑδαρὲς, intelligere decet: *Cum aqua non parum adeſſe terræ.*

Forte hinc etiam explicare oportet Gal. qui, ex alia licet hypotheſi, eo tamen pervenit 4. *uſ. part.* 15. ut *ſanguinem, in liene factum,* dicat *eſſe* λεπτὸν καὶ μέλανα. Si enim tenuis eſt cum nigredine; nigredo autem ſemper à terra eſt, fuerit apud Gal. etiam ſanguis Melancholicorum talis, qualis ex Hipp. dictus eſt.

Hanc ſententiam ſuperiori ſeculo revocare voluit eandemque Ariſtoteli quoque tranſcribere *Hieronymus Reuſnerus*, in laborioſiſſimo illo de ſcorbuto libro. Sed falſus eſt in utroque. Vult enim, Lienem chylum trahere tantum aquoſum & tenuem, terreum autem craſſumque, citra enorme obturationis diſcrimen, à liene non poſſe attrahi,

neque

neque ullas esse cavitates illi crassitiei convenientes.

Plato in Timæo sic ait: ἡ δ' αὖ τοῦ (subaudi τοῦ ἥπατος) γείτονος αὐτῷ ξύστασις καὶ ἕδρα σπλάγχνου γέγονεν ἐξ ἀριστερᾶς, χάριν ἐκείνου, τοῦ παρέχειν αὐτὸ λαμπρὸν ἀεὶ καὶ καθαρὸν οἷον κατόπτρῳ παρεσκευασμένον καὶ ἕτοιμον ἀεὶ παρακείμενον ἐκμαγεῖον. Διὸ δὴ καὶ ὅταν τινες ἀκαθαρσίαι γίγνωνται, διὰ νοῦσον σώματος, περὶ τὸ ἧπαρ, πάντα ἡ σπληνὸς καθαίρουσα αὐτὰ μανότης, ἅτε κοίλου καὶ ἀναίμου ὑφανθέντος. Ὅθεν πληρούμενος τῶν ἀποκαθαιρομένων, μέγας καὶ ὕπουλος αὐξάνεται. Καὶ πάλιν ὅταν καθαρθῇ τὸ σῶμα, ταπεινούμενος ξυνίζει εἰς ταὐτὸν. Quæ ita interpretor, si sufficit sequi sensum. *Constitutio & sedes, seu locus visceris, hepati vicini, factus est à sinistris, propter hanc causam, ut hepar reddat purum & nitidum ab excrementis, cum sit quasi ad speculum facta & parata, semperque præsens, expressissima ejus imago. Quare cum ob morbos totius corporis impuritates quædam circa hepar colliguntur, omnes illas expurgat lien, qui textura est rarus, concavus & exsanguis. Tum autem lien impuritatibus illis, quas exhausit, plenus, fit magnus & purulentus: quemadmodum contra, cum corpus est purum,*

purum, parvus fit, & considet in seipsum.

Hoc an ab Hipp. sumtum sit, nescio. Certe posterius, quod est de morbis lienis, est Hipp. Ait enim is *lib. de Loc. in hom.* ὅτε ὁ σπλὴν θάλλει, τὸ σῶμα φθίνει. Θάλλειν enim Hipp. heic est, quod Platoni postea fuit, μέγαν καὶ ὕπουλον γίγνεσθαι. Tum vero cum regere non possit lien, quæ attraxit, Imo cum non amplius trahere possit, quod debet: non potest non in hepate gigni sanguis deterior, qui corpus male nutrit, ut 6. *Loc. aff.* scribit Gal. Quare invertit idem 2. *Tac. nat.* 9. ὅσοις, inquit, τὸ σῶμα θάλλει, τούτοις ὁ σπλὴν φθίνει. Dum enim corpus bene habet, parvus est lien, quod vocat heic φθίνειν. Hinc, ut est apud varios autores, Trajanus Imperator fiscum comparabat lieni. Hoc enim ditescente, depauperatur populus: hoc decrescente, ditatur populus.

Aristoteles 3. *part.* 7. docet, universalem quidem omninm viscerum usum esse, ut, veluti anchoræ suspendunt naves, ita viscera venas & arterias in sublimi teneant: particularem autem hepatis & lienis, βοηθεῖν πρὸς τὴν πέψιν τῆς τροφῆς, Quod cum opus haberet explicatione, *Hepar*, inquit, *habent omnia*

nia ſanguinea: Lienem non habent omnia. Quæ autem habent, propter adjumentum coctionis habent. Dixerat autem *c.* 4. Lienem habere τὰ μάλιςʼ ἀπηκριβωμένα illa animalia, quæ operoſiſſime ſunt elaborata à Natura, uno verbo, perfectiſſima. Hæc enim cum multiplicem habeant inſtrumentorum apparatum; inſtrumenta autem ſingula habeant peculiare quid, itaque fiat, ut pro tot, tamque differentibus partibus alimentum deſideretur valde elaboratum: conſequens eſt, ut & varia ſint inſtrumenta, quæ alimentum præparent, & materia ipſa valde heterogenes, quæque non niſi à multis confici poſſit. In his igitur quia hepar non ſufficiebat ſanguificationi primæ: datus fuit illis lien etiam, qui ſit οἷον νόθον ἧπαρ, ut loquitur. Lien igitur trahit chylum, conficitque perinde ut hepar: ſed non trahit tantum, neque tam bonum, partem, inquam, chyli impuriorem, quæ hepati pro excremento eſt.

Hoc per exemplum apertiſſimum explicuit Th. à Veiga *Com. in* 5. *Loc. aff.* 5. *Videtur*, inquit, *Natura eo artificio juxta hepar formaſſe lienem, quo agricolæ fœcundas ſegetes lupinis circumdant. Sicut*

enim

enim ibi allecto in lupinorum incrementum terræ amarore, evadit triticum dulcius, lætiusque: ita hepatis sanguis, tracta in lienis alimoniam fæce.

Hoc, (licet obscurius) expressit Aretæus *l.*1. *de caus.Chron. c.* 13. cum ait: *Iecur lieni in generationem æquilibre est. Dextram enim lævamque partem hæc viscera occupant, naturaliter paria numero, sed facultate, tam in sanitate, quam in morbis imparia.*

Erasistratus qui σύγχρονος fuit Theophrasto, *l. An sanguis nat. c.* 7. & pro Peripatetico a suis habitus est, 2. *Fac. nat.* 4. cum desiderio gloriæ multa innovaret, multa etiam dirueret, *Caus. procat.* 2. licet concederet, Naturam nihil facere frustra, *Lienem tamen frustra esse factum* contendit, ceu Gal. scribit 4. *Vs. part.* 15. *de Atrab.* 7. 2. *Fac. nat.* 9. & Cæl. Aurel. *l.* 4. *c.* 18.

Hoc deliramentum stabilit vetus fabula, cujus Plin. etiam meminit *l.* 11. *c.* 37. quæ ait, Eximi posse lienem animalibus sine vitæ periculo, & eximi hodieque cursoribus. Probant idem Medici illi, qui fabulam jam dictam probant, decepti forte phrasi illa, qua *lien* sæpe dicitur liquari, absumi, per

alvum

alvum excerni &c: Nihil enim aliud vult, quam, obſtructiones ejus expediri. Probant quin etiam illi tacite, qui credunt, ſectione poſſe exſtirpari aut uſtione, ſi ex vulnere male habeat. His conſulo, adeant Fall. *de vuln. cap.*12. Tagault. 2.*Chirurg.*3. Aquapend. *l.* 2. *Chirurg. cap.*28.

Eraſiſtratei quidam, ut autor eſt Gal. *de Atrab.*7. emendare (credo) volentes ſtultitiam præceptoris, ſtatuerunt, *Lienem accipere omnem chylum*, eumque pro hepate ruditer informare.

Hoc commentum paullo aliter pinxit ſuperiori ſeculo *Fr. Vlmus, Gallus*, qui, edito ſuper ea re tractatu ſingulari, probare voluit, *Lienem in informando ſanguine laborare, non quidem pro hepate, ſed pro corde.* Cum enim in confeſſo ſit, in corde fieri ſanguinem arterioſum dictum; & fieri quidem ex venoſo: lubuit illi credere. Non ex hepate, ſed ex Liene ſurſum ferri ſanguinem venoſum ad cor.

Pingunt alii aliter, voluiſſe nempe illos, Lienem ſervire præparationi alimenti totius corporis, quatenus hepar, cui ſervit lien, præparat ſanguinem pro toto corpore, quamvis is ſolus non

nutriat

nutriat totum corpus. Sed verba ipſa non admittunt ſenſum hunc. Sunt autem hæc: *τοῦτο τὸ σπλάγχνον προπαρασκευάζειν τῷ ἥπατι τὸν ἐκ τῶν σιτίων χυμὸν εἰς αἵματος γένεσιν.*

Galenus, cum ſciret, in unaquaque coctione *duplex* eſſe *excrementum*, Tenue & Craſſum; in coctione autem hepatis præſto eſſet, omnibuſque confeſſum alterum, Tenue: conſtituit in liene eſſe alterum, Craſſum videlicet, quod Melancholiam etiam appellat. Hac de re videre eſt 4. *uſ. part*.4. & 15. 5. *uſ. part*.6.2. *Tac.nat*.9.1.*San. tuen*.12. 2. *ad Glauc*.10.13. *Meth*.16.1. *Aph*. 22.4. *Aph*.21.1. *Humor*.1. *de Atrab*.6.7. & 8. nec non alia loca.

Hæc ſententia apud pleroſque omnes, non Medicos tantum, ſed & Philoſophos tam eſt grata & accepta, ut nefas pene ſit contra hiſcere. Sed enim cum Natura ipſa inclamet omnes alta voce, jubeatque & velit, ut ſe, geniumque ſuum ſequantur: ignavi fuerit, demiſſis auriculis, ovium ad inſtar, ſequi arietem ſuum cum balatu.

Arabibus video hoc tribui, *Lienem eſſe factum ad refrigerium cordis*. Meminit Veſal. Bonamicus, Maſſaria, alii.

In

In hac varietate quid faciendum est? De Philosophi officio non dicam, ne videar πολυπραγμονεῖν. Certe, tanto honestius est Medico diligenter in hac perquirere: quanto inhonestius est negligere. Quid enim? Promittit Medicus se velle & posse restituere lieni actionem suam: &, quæ sit actio illa, ignoret?

De instrumentis coctioni servientibus.

CAP. III.

In hujus itaque possessionem ut venire possit, hinc videtur sumendum esse orationis exordium.

Instrumenta coctionis seu nutritionis necessario requirebant duo, Alterum, ut *multa* essent, Alterum, ut ea ipsa *genere diversa*, ceu pulcre ratiocinatur Gal. 1. *Fac. nat.* 10.

Multa. Cum enim actio facultatis nutri-

nutricis ſit adſimilatio;fieri autem non poſſit, ut adſimilentur, mutenturque in ſe invicem ulla, niſi ſocietatem,cognationemque in qualitatibus inter ſe habeant: non quodvis animal nutritur cibo quovis, nec illo protinus. Sed nec in uno eodemque animali fit nutritio, niſi poſt aliquam multas alterationes, plures, pauciores, pro diverſitate partium nutriendarum. Ut enim flavum fiat rubrum, & contra rubrum flavum: unica & ſimplex forte ſatis eſt alteratio. At, ut album fiat nigrum,& contra: opus eſt alterationibus intermediis plurimis. *v. g.* Ex pane, qui albus eſt, ut fiat ſanguis, qui ruber eſt: profecto non ſufficit una alteratio,ſed oportet paulatim & per vices deponat alborem, eodemque modo acquirat ruborem. *Rurſus,* Ex ſanguine,qui ruber eſt, ut fiat os,quod album eſt:profecto non eſt ſatis ſemel alterari ſanguinem, leviterque, ſed multoties & per intimam ſubſtantiam,donec & dealbetur ſatis & incraſſetur. Quamobrem opus habuit animal inſtrumentis plurimis, quorum ſingula præſtarent alterationes ſingulas, quæque ſemper mutuo ſe exciperent, donec ex cibo diſſi-

dissimilimo fiat alimentum quam similimum. *Nullum enim perfectum & magnum opus repente fit, & una aggressione, totamque suam expolitionem ab uno instrumento accipere potest*, inquit idem Gal.*6. Sent. Hipp. & Plat.6.* Quivis autem intelligit, tanto majorem instrumentorum copiam requiri, quanto animal ipsum perfectius est, ut jam ante dixi.

Diversa. Cum enim alimentum, per os assumtum sæpe una cum partibus vere alimentariis, multas habeat partes à natura partium nutriendarum alienas; & vero illæ secerni omnino debeant, antequam quidquam fiat: debuerunt adesse, non illa tantum, quæ coquunt, sed & quæ excrementa excipiant, & extra corpus abducant *v.g.* herbæ pleræque omnes, uno verbo, gramen, quo veterina aluntur, si ad hominem compares, merum est excrementum, ideo homo nutriri illo non potest. Raphanus potest nutrire, sed, quod illius nutrit, valde paucum est, multum contra, quod excrementosum. Caro bubula, agnina, &c. potest nutrire; sed quod illius nutrit, plurimum, exiguum contra, quod excremen-

men-

mentoſum eſt. Ergo ut ablegari poſſit è corpore, ſi forte contingat accipi aliquid prorſus inutile; ut etiam illud heterogeneum, quod in iis, quæ vere nutriunt, inutile eſt: debuerunt eſſe inſtrumenta, non tantum multa, ſed & genere diverſa. Hinc idem Gal. 6. *Ex. Anat.* 2. 5. *uſ. part.* 14. *alia* dicit *eſſe facta prima ratione, alia ſecunda, alia tertia. Prima, quæ coctioni ſerviunt: ſecunda, quæ recipiendis excrementis: tertia, quæ iiſdem expurgandis.* Hæc licet ex Ariſtotele ad numerum binarium redigere. Cum enim 3. *part.* 7. per *accidens* dicit illa eſſe, quæ excrementa colligunt & abducunt: per *ſe* eſſe illa præſupponit, quæ coctioni dicata ſunt. Nec fit id invito Gal. Cum enim 9. *κ. τόπ.* 2. docet, Lienem juvare corpus per accidens, quatenus excrementum abducit: dici poteſt, exemplariter loqui. Quare ſi omnia talia ſunt per accidens: per ſe fuerint illa, quæ coquunt.

In

In utro ordine ſit lien.

CAP. IV.

Quo igitur pertinet lien noſter? Si Gal. audiamus non tantum loco jam citato, ſed aliis omnibus, ſimpliciter eſt *per accidens*, quemadmodum etiam veſica fellea, cui ex adverſo reſpondet de ipſius mente.

Apud Ariſtotelem non ita. Is enim, quia intuetur, non hominem ſolum, ut Gal. ſed omne animal: dicere quidem poteſt, Lien animali ſimpliciter accidit: quia datur animal quoddam, quod lienem non habet. Ideo non eſt ex rebus, quæ animalitatis eſſentiam ingrediuntur, ut de teſtibus loquitur Averroës. Ita veſica fellea ſimpliciter eſt per accidens quia, ut Philoſophus 2. *Hiſt.* 15. & Gal. ipſe 4. *uſ. part.* 12. docet, non in omnibus animalibus eſt, & in quibus non eſt, pori bilarii recta ab hepate ad inteſtinum duodenum pergunt, effunduntque in illud, excrementuum ſuum. Ita, Renes & veſica urinaria ſimpliciter

ſunt

ſunt per accidens: quia, ut 2. *Hiſt.* 16. docetur, Ovipara iis deſtituuntur. Quamobrem 3. *Part.* 7. ait: ὁ σπλὴν κατὰ συμβεβηκὸς ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει τοῖς ἔχουσι, ὥσπερ τὰ περιττώματα, τὰ ἐν κοιλίᾳ, καὶ περὶ τὴν κύστιν. Quo loci cum Gaza omiſerit illud τοῖς ἔχουσι: introduxit maximam obſcuritatem. Quomodo enim in iis, in quibus non eſt, dici poteſt, vel per ſe eſſe, vel per accidens? Neque morari debet quemquam, quod ibidem non dicit, διόπερ ἐκλείπει ἐν τισὶν: ſed, διόπερ ἐκλείπει ἐν ἐνίοις τὸ μέγεθος. Veriſimile enim eſt, loqui illum, non de alia magnitudine, quam de qua dixerat paulo ante, τοῖς μὴ ἐξ ἀνάγκης ἔχουσι, πάμμικρός ἐστι, ὥσπερ σημείου χάριν. Et mox: οἷς ὀλίγη περίττωσις γίνεται, τὰ μὲν μέγαν ἔχει, τὰ δὲ σημείου χάριν. Et 2. *Hiſt.* 15. τὰ πολλὰ τῶν ᾠοτοκούντων, μικρὸν ἔχει τὸν σπλῆνα οὕτως, ὥστε λανθάνειν ὀλίγου τὴν αἴσθησιν. Hæc autem magnitudo cum non ſit illa, quæ requiritur in liene, ut ſit lien, hoc eſt, ut poſſit præeſſe officio illi, quod à Philoſopho lieni tribuitur: quis non permittat, Lienem tam exilem, qui uſum lienis non implet, ne dici quidem lienem, niſi ὁμωνύμως, quo

modo,

modo, inquam, oculus eburneus eſt oculus? Eſt lien, *inquis*, & dicitur, ſed habet alium uſum, ſervit unitati naturæ, ideoque non eſt prorſus ſine uſu. *Reſp.* Uſus ille, *ſervire unitati*, eſt alienus ab uſu illo, de quo in doctrina de uſu partium. Revera autem adiicit oppoſitum. Servire enim unitati, quod ille ait, σημεῖς χάριν eſſe, eſt idem cum eo, Non eſſe; quod dicitur. Uſus enim complet heic ſubſtantiam rei. Quid multa? τοῖς ἔχȣσι quid opponitur? Certe τοῖς μὴ ἔχȣσι. Quidni ergo dicere liceat, Ideo in quibuſdam non eſt? & ita denique concludere, *Lienem eſſe ideo per accidens, quia in quibuſdam deſit?*

Verum, quo trahit me φιλονεικία tua? Dicere, inquam, poteſt Ariſtoteles, Lienem eſſe ſimpliciter per accidens, quando nimirum intuetur *genus*, ſeu totum ambitum animalium. Atquando intuetur *ſpeciem*, animal quoddam, *v.g.* hominem, qui lienem habet, non poteſt id dicere, quamvis Gal. poſſit. *Huic* enim, quia trahit merum, quale etiam, veſica fellea, excrementum: jure omni eſt in earum partium cenſu, quæ ſimpliciter ſunt per accidens. *Ariſtoteli* autem, quia trahit excrementum non

merum, ſed quod coctione ſubſecutura ad frugem aliquam pervenire poteſt: non eſt prorſus in illo numero. Nimirũ, vox *excrementi* eſt ὁμώνυμος, non tantum quia aliud eſt utile, aliud inutile, ſed quia ipſum etiam inutile, non habet eandem prorſus naturam. Modo enim ſignificat id, quod eandem perfectionem cum eo, cujus excrementum eſt, vel adipiſci non potuit, vel adeptum tueri non potuit: Modo id, quod quoquo modo adipiſci poteſt, nondum tamen eſt adeptum. Non in prima igitur ſignificatione, quomodo Gal. ſed in ſecunda, quomodo Ariſtot. accipit, audire oportet excrementum, cum dicitur, Lienem trahere excrementum. Expreſſe enim Ariſtot. ait, *Lienem coquere excrementum ſuum*, quod de alvo aut veſica non dicit.

An heic τὸ κατὰ συμβεβηκὸς abuſive dicitur pro δι' ἄλλο? Philoſophus enim renes adeſſe ait, οὐκ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλὰ τοῦ εὖ καὶ καλῶς ἕνεκεν Et revera partes illæ omnes, quæ abducunt excrementa, ſunt neceſſariæ animali, non ad coctionem, quæ per ſe quæritur, ſed ad excrementorum ſeparationem, quæ propter aliud, propter coctionem, ut illa

illa ſit melior. Tale quid videtur etiam deduci poſſe ex 1. *Gen*.4. 5. 6. qua de uſu teſtium.

Videant hæc & conſiderent illi, qui pro maximo habent abſurdo, *Partem aliquam dici eſſe per accidens*. Ut enim jam amoveam Ariſtotelem, Gal. ipſe id dicit, ceu patet ex allatis. Videant etiam illi, qui audent ob id ipſum ſociare Philoſophum noſtrum cum Eraſiſtrato, quaſi in hujus ſchola didicerit. Quod ipſum prӕterquam quod σφάλμα χεϱνικὸν eſt ingens: arguit hominem in lectione Ariſtotelis hoſpitem. Sed ut in viam redeam.

An, quemadmodum hepar & lien ἐπαμφοτερίζουσιν inter viſcera μονοφυῆ καὶ διφυῆ quod Ariſtoteles ſæpe jam laudato 3.*part*.7. docet: ita lien, in iis, in quibus eſt, ἐπαμφοτερίζει inter ea inſtrumenta, quæ ſunt per ſe, & quæ pet accidens, aut, ſi ita vis, per aliud? Nam *quatenus trahit excrementum quoddam: eatenus per accidens eſt*. Sed *quatenus trahit excrementum tale, quod coctionem admittit: eatenus per ſe eſt*. Hinc ibidem dicitur νόθον ἧπαρ. Facit enim, quod facit hepar: ſed in materia ignobiliori. Quo fit, ut & ipſum faciat ſan-

guinem, deponatque sanguinis excrementum quoddam, perinde ut hepar: sed sanguinem, neque tam bonum, neque tam multum. Eandem ob causam cap.4. præcedenti dicitur ἀντίζυγος τοῦ ἥπατος, non tantum propter *locum*, sed & propter *officium*. Facit enim, quod hepar facit: sed non eadem utitur felicitate, qua reliqua ἀντίζυγα. Ren *v.g.* sinister facit tantum, quantum dexter, & sic de aliis. Hoc videtur sibi voluisse Philosophus illis verbis, *Naturam fecisse* ἀνθ' ἑνὸς δύο, παραπλησίαν ἔχοντα φύσιν. Quod ipsum notare jubeo illos, qui ostensa multiplici, ut putant, lienis ab hepate, differentia, ostendisse se putant, lienem non posse sanguificare. Non enim habent μίαν φύσιν, ut renes, quos modo nominavi, sed παραπλησίαν, talem certe, quæ sanguificationi sit idonea. Hanc ipsam viciniam expressit illis etiam verbis, διὰ τὸ τὴν θέσιν ἔχειν, τὸ ἧπαρ ἐν τοῖς δεξιοῖς μᾶλλον, ἡ τοῦ σπληνὸς γέγονε φύσις, ὡς ἀναγκαία μὲν πως, μὴ λίαν δὲ πᾶσι τοῖς ζώοις. Quasi dicere voluisset, Lien in sinistris, oppositus quidem est hepati in dextris, sed ita ut necessarius sit non omnibus animalibus. Quamobrem

brem ſtatim etiam ſubjungit, *In quibus lien neceſſarius non erat, in iis hepar eſt* διμερὲς, *cujus altera & major pars in dextris eſt, altera & minor in ſiniſtris.* Et hoc inculcat etiam 2.*Hiſt*.17. Quo modo intelligere oportet, quod de jecinoribus quorundam animalium dicitur, apud Philoſophum utroque jam citato loco, Plin. *l*.11.37. Gell.16. *Noct*. 15. Athenæ. 9.*Dipnoſoph.*

Heic ſcire deſiderat animus humanus duo: 1. *quæ animalia in univerſum lienem habeant?* 2. *Cur homo inter alia habeat?*

Reſpondi jam ſupra ex 3.*part*.4. τὰ μάλιϛ' ἀπηκριβωμένα, id eſt, abſolutiſſima & perfectiſſima animalia habere. Hæc enim, ut ibi quoque dictum eſt, quia magnum habent inſtrumentorum omnium apparatum, & ideo alimento indigent valde elaborato; ut omnibus ſufficere poſſit: opus habuerunt magno etiam concoctoriorum inſtrumentorum apparatu. Talia fere, ut ex c.7. ſeq. diſcitur, pulmonem habent magnum & ſanguineum, ob quem multum bibunt, ut fiat chylus valde dilutus. Quo fit, ut cum ſolum hepar non ſufficiat coquendo chylo tam liquido, ad-

ditus ſit lien, qui ſuſcipit partem operis, abducendo crudiorem & limoſiorem chyli partem, eoque faciendo, quod hepar facit ſuo chylo. Eadem ventriculum habent membranaceum, qui chylum non ſatis feliciter concoquit. Contra, quæ lienem non habent, pulmonem habent exiguum & exſanguem: viciſſim autem κοιλίαν θερμὴν, ventriculum fervidum, ut recte Gaza, quia carneum, ut aves omnes. Quo fit, ut cum parum bibant, ventriculus etiam optime conficiat chylum: non opus ſit ullatenus liene. Ex his intelligitur *alterum*, Nempe, homo habet lienem, quia & pulmonem habet calidum, ſanguineumque, & ventriculum membranaceum.

Jam, quia inclinatum eſt in ſententiam Ariſtotelis, ſupereſt, ut proponatur & examinetur. Habet autem hanc 3. *part.* 7. his verbis: ὁ σπλὴν αὐτὸς σπᾷ ἐκ τῆς κοιλίας τὰς ἰκμάδας τὰς περιττὰς, καὶ δύναται συμπέττειν, αἱματώδης ὤν.

Nuda verborum Aristotelis explicatio.

CAP. V.

Ὁ σπλὴν ἀνθέλκει *Lien divertit,* ait Gaza, *& attrahit,* Hæc ἀνθέλκυσις ut intelligatur, oportet ex Anatomicis exercitiis id repetere. Vena, quæ ibi est, ubi sunt αἱ καλούμεναι πύλαι 7.*Hist*.8. statim atque excidit hepate, ut loquuntur, dividitur in duos ramos insignes, quorum *alter*, qui inferior est, & dexter, *Mesentericus* dicitur, quia ad Mesentericum & intestina abit, inque ea totus pene consumitur: *alter*, qui superior est, & sinister, *Splenicus* dicitur, quia maximam partem τείνει εἰς τὸν σπλῆνα, καὶ ἀφανίζεται τὰ ἐπ᾽ αὐτοῦ φλεβία εἰς τοῦτον, 3.*Hist*.4. Ille, ubi, quem debuit ex intestinis traxit chylum; & jam in eo est, ut per dictas portas introducat in hepar: supervenit Hic, & partem ejus ἀνθέλκει, quod intelligo ego, rapit sinistrorsum.

Hoc loco emergit *dubium* tale. Cum Naturæ perpetuum ſtudium ſit conjungendi venas cum arteriis; & vero heic etiam obſervatum ſit idem: annon quemadmodum venæ trahunt chylum, etiam arteriæ trahant? Certe totidem ſunt rami arteriæ magnæ, ramis venæ portæ attenſi, quot ſunt ipſius venæ portæ rami. Ut enim agam per πρωθύστερον, Cum ramus Meſentericus ſubdividatur poſtea in dextrum & ſiniſtrum: ſiniſtro quidem, ſecundum omnes diviſiones reſpondet Meſenterica arteria inferior, quæ poſt emulgentes & ſpermaticas exiſtit; dextro autem, pariter ſecundum omnes diviſiones, reſpondet Meſenterica arteria ſuperior, quæ, ſi non eadem radice, certe valde vicina pullulat cum Cœliaca arteria. Et hæc eſt, quæ reſpondet ramo Splenico in omnibus, præterquam in nomine. Ut enim ſplenicus, non tantum in ſplenem, ſed & in ventriculum abit; non appellatur tamen à minori, ſed majori parte: ita Cœliaca non tantum in ventriculum, ſed & in ſplenem abit; & dici debebat, non à minori parte, *Cœliaca*, ſed à majori *Splenica*. Verum, cum nominum cura debeat nobis eſſe exigua,

non refert, Cœliaca, an ſplenica vocetur : modo hoc intelligatur.

Analogiam, quæ eſt inter venas & arterias has, perſuadere, per Cœliacam non minus fieri *ἀντίσπασιν* quam per Splenicum. Quod ita accipere oportet. Arteria Meſenterica utraque tot diviſionibus hiat ad inteſtina, quot Meſentericus, ſubdiviſus in dextrum & ſiniſtrum : eædem diviſiones ſuis extremitatibus non minus contingunt chylum, quam venæ Meſenterici : eædem album quid, rubro permiſtum (conſtat autem inter Anatomicos, album id in venis eſſe chylum; rubrum ſanguinem) ad ſenſum continent. Quidni igitur Arteriæ etiam trahant chylum?

Fatetur hoc Gal.3.*Fac. nat.*13. Loquens enim de ventriculo, alimentum in inteſtina expellente, ait, *per tota inteſtina illud permeare, rapique à vaſis quæ ad ea pertinent, plurimum quidem à venis, parum quid autem ab arteriis, ut paulo poſt probabimus,* ait. Id vero fit cap.14. ſeq. quo de arteriarum in imo ventre tractione agens, à corde & vicinis venis trahere, ait. *Neque enim* (addit) *ex inteſtinis & ventre, quæ adeo craſſum; graveque nutrimentum in ſe habent,*

bent, possunt aliquid, de quo ratio ulla sit habenda, in se transferre, cum prius impleantur levioribus. Et statim: *Non est ergo mirandum, si ex ventre prorsus exiguum, quantum scilicet exquisitissime est confectum, in arterias venit, ceu leviore prius impletas.* Et ultimis verbis cap.15. *Fuerint sane,* inquit, *hæc & iis quæ de arteriis supra diximus, non parva testimonia. Vbique enim, qui conveniens simul & tenuis est sanguis, eo, qui talis non est, facilius trahentem sequitur. Itaque, cum, quando dilatantur, halitum, spiritum & tenuem sanguinem trahant: ejus, qui in ventre & intestinis est, succi, aut nihil, aut omnino trahunt perexiguum.* Ad hæc loca se refert 4.*us. part.*17. cum ait, Actionum facultates se complexum esse *in libb. de fac. nat.* veluti & quod orificia arteriarum, ad intestina protingentium, modicum quiddam cibi assumunt, plurimum autem venæ. Non quidquam proficit dum dicit, ob gravitatem & crassitiem alimenti intestinalis, ut sic dicam, non esse ἄξιον λόγου id quod arteriæ trahunt. Si enim est βραχύ τι, licet id ipsum sit παντάπασι βραχὺ, ἢ παντελῶς ὀλίγον: est tamen aliquid, ut dici possit, & dicatur ab ipsomet τροφὴ, quamvis ὀλίγη.

Revera autem præter cauſam extenuat, ignarus quippe, quo deducere deberet, ſi multum eſſet. Sed non ſublevat: Quæro enim, quo deducat parum illud?

Ad cor, videtur velle deducere, cum ait, ἀκριβῶς κατειργασμένον, *exquiſite confectum & elaboratum eſſe id, quod arteriæ trahunt, ideoque à natura cordis non valde alienum.* Nec videtur aliter fieri poſſe, ſi conſideremus arteriarum ſemitam. Quo factum eſt, ut ſuperiori ſeculo conſtanter id affirmarit *Conſtantius Varolus*, *Anatomicus Bononienſis.* At vero cum ad initium Aortę tres ſint valvulæ σιγμοειδεῖς, quæ ingreſſum ad interiora prohibent, chyli præcipue, ut Piccolom. docet ex Hip. *l. de corde:* non licet id nobis dicere. Accedit alia cauſa, quæ ex eodem Hip. libro affertur. chylum non eſſe cordi κατὰ φύσιν. Sed ſit ſane illi naturaliſſimus: manet tamen, *Naturæ conſilium fuit, nolle aliquid ingredi ibi.* Hanc ob cauſam ita fabricata eſt valvulas, ut dictum eſt. Si itaque aliquid ingreditur tamen, ſequetur, Naturam inepte fuiſſe operoſam in eo, quod fecit aliquid, quod uſui illi, cui fecit, non ſatisfacit. O, inquiunt, *ſtat*

natu-

naturæ suum consilium: fuit enim, non ut nihil ingrederetur, sed ne multum: ideo non exacte clauduntur valvulæ: Inquam ego: unde hoc didicistis? Sed sit sane & hoc. Concedam enim valvulas non exacte claudi: per illas tamen angustias, non potest tantum ingredi, quantum arteriæ tam numerosæ trahunt. Nam & hoc considerandum est, si maxime ita sit, ut Gal. docuit, arterias singulas valde parum trahere: quod ipsum tamen evidenti ratione negari potest, & astrui, plus trahere quam venas, quia cum pulsu trahunt: non tamen parum erit, si conferatur in unum acervum, quod singulæ traxerunt. Sed sit sane vel parum vel multum: quo it illud? In Cor? Nullatenus potest, propter causas allatas.

An confugere nobis licet ad analogiam, & dicere, Quemadmodum, dum Mesentericus vult inferre in hepar chylum totum; non permittit id autem illi Splenicus, qui facit ἀντίσπασιν: ita, dum Mesenterica utraque sursum vehit chylum suum, ut offerat cordi; supervenit Cœliaca seu Splenica, & facit ἀντίσπασιν, priori non dissimilem? Ita enim nos expediemus, ab illa difficul-

cultate, quæ diu torsit optimos quosque, Quo eat chylus, ab arteriis attractus, cum ad Cor ire non possit? Huic rei habebimus faventem Aristotelem, qui 4.*part*.4. *&* *de Spir*.5. (modo is liber ipsius est) tam venas quam arterias Mesaraicas ait trahere alimentum ex intestinis, & deponere ad venas, subintellige, majores, præcipue, quibus partibus adhærent ipsi viscera, & stabiliunt, ceu supra dictum est.

Subsistis forte heic, quisquis es, & cogitabundus tecum pensitas, *Quomodo non misceatur chylus in Aortam effusus, cum sanguine in eadem contento?* Et, *quomodo Cœliaca seu Splenica vehat solum chylum?*

Ego vero tibi dico, Non vehit solum chylum, sed sanguini arterioso mistum. Quemadmodum enim Mesaraicæ una cum chylo vehunt sanguinem, pro sui intestinorumque nutritione: ita Cœliaca sanguinem simul vehit, quo, cum venoso permisto alitur lien, vicinæque partes quædam. Quomodo autem Cœliaca possit allicere omnem chylum, ne ille inquinet sanguinem, in Aorta contentum: intelliges, ubi hoc consideraveris.

Gravitas & levitas naturalis tantum possunt, ut duobus sibi superimpositis invicem vitris, in quorum superiore aqua continetur, in inferiore vinum: aqua descendat, vinum ascendat ita, ut neque in aqua vinum, neque in vino aquam animadvertas. Et non possint tantũ corpora nostra, in quibus, propter nobilioris animæ præsentiam, omnia naturę opera perfectiora sunt, ut loquitur Paræus? Hunc tu vide *l.* 10. *Chirurgiæ suæ cap.* 12. sed præcipue *lib.* 16. *cap.* 49 Adde vero etiam Gal. 3. *fac. nat.* 13. Hac enim de re disputare, hujus loci nõ est.

Ἐκ τῆς κοιλίας, Ex ventriculo, Gaza) Apud Philosophum 2. *part.* 3. *part.* 14. 1. *Gen.* 18. 4. *Meteorol.* 3. *& alibi*, ἡ ἄνω κοιλία dicitur id, quod nobis *ventriculus*: ἡ κάτω κοιλία, *Colum* cum reliquis intestinis crassis: quod in medio est utriusque, ἡ νῆστις. Heic quam κοιλίαν intelligat, merito dubites. Nam 1. *Hist.* 17. expresse ait, *Lienem esse appensum* τῇ κάτω κοιλίᾳ. Et heic dum loquitur περὶ τῶν περιττωμάτων τῆς κοιλίας; nec non περὶ τῆς σκληρότητος τῆς κοιλίας in spleneticis: videtur idem velle. Contra cum in inferiore ventre sit τὸ ἄχρηστον ἤδη περίττωμα, vacuato jam utili omni

mni ἐν τῇ καλουμένῃ νήστει: quomodo verisimile est, lienem inde accipere aliquid? Quare Gaza, & plerique alii, intelligunt de ventre superiore, quem absolute *ventriculum* dicimus. Qui sensus cum manifeste pugnet cum antedictis, non possumus stare cum istis. Quare ita dicimus, *In prisca & rudiori Anatomia sæpe plus tribuebatur rationi, quam sensui.* Et quia rationabile erat, τὰς ἰκμάδας τὰς περιττὰς, de quibus jam dicetur, detrudi cum aliis excrementis in locum illum inferiorem: scripsit etiam Aristoteles lienem inde petere. Nos autem ex nova & diligenti Anatomia scimus, Lienem accipere ἐν τῇ καλουμένῃ νήστει per ramos Splenicos Venæ Portæ & Arteriæ magnæ, ut dictum est.

Hanc Aristotelis interpretationem, non esse novam, patet ex autore *l. de us. resp.* qui est inter spurios Gal. Quæ verba notare jubeo *Bonamicum*, & desistere ab actione, quam *Vesalio* intendit. Recensens enim ille Aristotelis de usu lienis sententiam, *Trahere illum,* ait, *succum cibi ab intestinis per medium Mesentericum.* Nec refert, quis fuerit hic: hoc enim tantum desideratur, ut doceatur, Non esse rem novam, ita inter-

ter-

terpretari Aristotelem, ut jam interpretati sumus.

Quid autem? Si τῆς κοιλίας vocabulum accipiatur, non de omni illo, quod infra septum est, ut Bonamicus 1. *Alim*. 32. vult, seu de abdomine toto, sed de ventriculo una cum omnibus intestinis, ut sæpe accipit Gal. v. g. 1. *Alim*. 1. 2. *Sent*. Hipp. 8. 3. *Caus. sympt*. 2. Quamvis enim in intestinis crassis excrementum sit fere tantum: annumeratur tamen à veteribus (Aristotelem intelligo 2. *part*. 3.) instrumentis nutritoriis, ut Gal. ait 5. *us. part*. 13.

Τὰς ἰκμάδας) *Vapores*, Gaza: sed male, Bonamico etiam judice l. c. pejus illi, qui, Interpretibus addicti, συνώνυμον afferre volentes, *Flatus* dicunt. Neutris enim debetur πέψις, de qua in hoc ipso vestigio, & alibi sæpe. *Humiditates* igitur seu *humores* vertere oportet, & adstringere ad id, quod χυλὸν speciatim dixerunt Medici. Hunc enim quia indubitato trahit hepar, lien autem est nothum hepar: trahet utique & lien.

Τὰς ἰκμάδας τὰς περιττάς) Jam enim conjungere oportet, ut plane videatur, Quis sit chylus ille, quem lien divertit & attrahit? Cæterum, ut ibi: ita hic quo-

quoque Gaza cespitat. τὸ περιοσὸν enim *vacans* vertit, quod alii in *vagans* transmutarunt, nisi librariorum culpa id factum est. Licet enim, quod περιοσὸν est, vacet, quod est, inutile sit, & de excrementi natura; novum tamen est, & lectoris animum aliorsum ducit. Quando igitur Gaza ipse τὸ περιοσὸν καὶ τὸ περίττωμα libenter interpretatur excrementum, & excrementosum: cur heic sine causa muginatur, ut veteri utar vocabulo? Quamobrem ἰκμάδες περισσαὶ jam erunt *humores excrementitii*, aut, ut propius dicam, *chylus excrementitius*.

Τὸ *excrementum* autem quia est τῶν πρός τι. cujus excrementum est id, quod lien trahit? Hepatis. Sed quomodo? Hoc nempe. Cum animalia, quæ lienem habent, dicta sint duo habere, pulmonem calidum, sitis multæ causam, & ventriculum membranaceum, concoctionis deterioris (præsertim, cum sit chylus tam liquidus) signum: non potest non chylus esse valde ἑτερογενὴς, putate, ut multæ ibi sint partes alienæ à natura sanguinis, quem Natura intendit. *Hepar* igitur, quia sanguineum est eximie, trahit ex chylo id

dun-

duntaxat, quod ſibi analogum eſt, videlicet, quod maxime ſanguineum eſt, quodque (ut explicatius dicam) maxime temperatum eſt, miſtis ad unguem quatuor elementis inter ſe. Quod autem relinquit, quod in copia etiam minus eſt, jam excrementum ipſius eſt. Id vero non poteſt non valde liquidum fluidumque eſſe, ammiſtis ſedibus terrenis non paucis, quæ, ob craſſitiem, hepar (quod multo ſolidius eſt liene) permeare non poſſunt. Hoc totum ne ibi ſtagnet, periculumq; aliquod creet animali; & vero, ne natura videatur eſſe parum perita rei familiaris, deſerendo aliquid, & negligendo, ex quo corpus ſentire poſſit commodum: *Lien* ante ipſas portas accipit, & trahit ad ſe, quippe ſibi analogum. ὑγρὸς enim eſt lien, 3.*part*.7. ideo delectatur aqua. σπογγοειδὴς καὶ μανὸς, κοῖλός τε eſt idem, 1. *de Morb*.4. *uſ. part*,15. *& in Timæo:* ideo fecem terrenam & craſſam facilius imbibit.

Hæc cauſa fuit Hipp.1. Cur modo ὕδωρ appellarit, modo μέλαν, ἢ μέλαιναν χολὴν? Illud quidem, à prædominio aquæ, quæ in Melancholicis omnibus exuberat, ut patebit ex dicendis: Hoc

autem

autem à terreo limo, qui niger est, ob ἐμπύρευμα, de quo infra. Ex tali autem chylo fit necessario talis sanguis, qualis dictus est ex Hipp. Ichorosus & tenuis. Is vero præcipue evidens est in Melancholicis, ut infra quoque dicetur.

Dicis, *sed unde scis, Hippocratem & Aristotelem locutum esse de eadem re?* Inde, quia uterque, non eodem tantum modo loquitur, sed etiam eodem utitur argumentandi genere. Aristoteles enim sanguinem ἰχωροειδῆ καὶ λεπτὸν, Hipp. dictum, vocat ὑδαρῆ, ut supra dictum est. Aristoteles etiam utitur eodem argumento, à statu præter naturam petito, ad statum secundum naturam. Si, vult dicere 3. *part.* 7. splen male affectus potest facere, ut alvus vel dura sit, vel sicca: utique splen bene affectus idem potest. Facit autem remittendo aut alio mittendo humiditates, quas ex intestinis traxit. Cæterum de sensu hujus loci infra.

Quid? si dicam, Melancholiam Galeni esse eandem cum utroque (Hipp. & Aristotelis) excremento. Videri enim vult Gal. quamvis loci supra allati aliud persuadeant, Melancholiam suã esse

eſſe eandem cum Melancholia Hippocratica. At hæc cum Ariſtotelica eſt eadem. Ergo. Præterea Gal. ex ſua Melancholia facit ſanguinem λεπτὸν, καὶ μέλανα, ut indicatum jam fuit. Is autem an & quomodo differat ab ichoroſo tenuique Hipp. itemque aquoſo Ariſtotelis, dic age?

Καὶ δύναται συμπέπτειν) Explicat Philoſophus, De quali excremento ſibi ſit ſermo? Non tali, quod prorſus eſt inutile, omnemque reſpuit nitorem adeo ut præſtet quam ocyſſime è corpore pelli: ſed tali, quod admittit etiam aliquam Naturæ diligentiam. Oportet autem explicare hæc ex iis, quæ paullò ante dixit Philoſophus. τὸ ἧπαρ καὶ ὁ σπλὴν βοηθεῖ πρὸς τὴν πέψιν τῆς τροφῆς. Ἔναιμα γὰρ ὄντα, θερμὴν ἔχει φύσιν. Ideo ultimo ſuperaddit,

Αἱματώδης ὢν) Quo ipſo refutatur *Accorambonius*, qui *Notis in hunc locum* exponit τὸ συμπέπτειν ex Gal. de excrementi melancholici ſubductione. Si enim hoc ita eſſet, & alvus & veſica dici poſſent συμπέπτειν apud Ariſtotelem. At non poſſunt, propter hanc cauſam. Ἔναιμα enim non ſunt, ἢ αἱματώδη.

Intelligitur hinc etiam, *Albertum Magnum*

Magnum non posse τὸ συμπέττειν explicare de adjumento concoctionis, quod lien præstat ventriculo. Non tantum enim integer contextus ostendit, Aristotelem loqui *de coctione lienis propria:* sed & ratio addita evincit. Adjumentum etiam illud præstant quædam non sanguinea, ceu de omento doceri potest *ex 4. part. 3.* καταχρῆται, inquit ἡ φύσις αὐτῷ, πρὸς τὴν εὐπεψίαν τῆς τροφῆς, ὅπως ῥᾷον πέττῃ καὶ θᾶσσον τὴν τροφὴν τὰ ζῷα. Quibus ex verbis forte etiam hoc colligi potest, Aristotelem de adjumento illo aliter loqui, quam de ipsa actione. Subdit enim, etiam τὸ παρακείμενον ἧπαρ habere hunc abusum. Cæterum, quod præter omentum reliqua viscera etiam sint ventriculo οἷον θερμάσματα, *quasi foculi quidam*, pulcre docet Gal. *3. Fac. nat. 7. us. part. 7. 8. & 9.*

Mens Aristotelis repetita addita explicatione ex Naturæ libro.

CAP. VI.

Ergo hoc vult denique Philoſophus. Lien trahit chyli partem illam, quæ hepati analoga non eſt, & ex eo ſanguinem facit, adeoque cum hepate eſt officina ſanguinis, quem *venoſum* dicunt Medici. Tamen *Lienis* non eſt ea felicitas, quæ *hepatis*. Hoc enim cum ſanguinem facit multum, eumque bonum & laudabilem, ex chylo quippe bono & laudabili: ille ſanguinem facit paucum, & non uſque adeo bonum, vitio, non tam ſubſtantiæ frigidioris (quod Vall. vult) quam materiæ. Eſt autem ſanguis ille, uno verbo, tenuis & aqueus.

Hæc lienis actio quia eſt coctio quędam; in omni autem coctione fit ſeparatio utilis ab inutili: non poteſt non heic etiam fieri tale quid.

Vtile

Vtile igitur quod est, vertit lien in alimentum tam proprium, quam partium quarundam vicinarum, cum quibus per vasa societatem habet, *v. g.* omenti, mesenterii, intestini tenuis, coli, ventriculi, &c.

Inutile, quia valde heterogenes est, aqueum quippe & terreum, pro ratione videlicet, utriusque hujus elementi prædominantis, necessario vacuat per vias convenientes.

Quod enim *aqueum* est, vel ad alvum deponit, vel ad renes, & vesicam, vel in habitum corporis, vel denique in ventriculum.

Quod *terreum* est, ob gravitatem suam deorsum it per vasa ad anum ducentia, & vel cum, vel sine alvi excrementis vacuatur.

Utriusque hujus (ut sic dicam) excrementi vacuatio ubi non succedit, morbi fiunt, in quibus neque omnia symptomata sunt à crassis humoribus, neque omnia à tenuibus; prævalent autem modo hæc, modo illa. Omnes autem sunt contumaces parumque in illis curandis proficiunt Medici.

Hæc est ὑποτύπωσις totius negotii. Quod ut ne quem ob exilitatem fugiat:

giat: oportet (& id imitatione Ariſtotelis) idem διαῤῥήδην διαχαράττειν, beneficio accepto à Recentioribus, non Anatomicis tantum, ſed & practicis.

Lienem trahere chylum.

CAP. VII.

Hujus rei argumenta partim à ramo venæ portæ ſplenico ducuntur, partim ab ipſo liene.

Et licet concluſum ſit, non tantum venam trahere, ſed & arteriam: tamen quia res in vena eſt clarior, de illa loquar tantum.

1. Igitur argumentum eſt *à ſubſtantia venæ portæ.* Quæ venæ eandem ſubſtantiæ ſpeciem habent, illæ quoque eandem actionem obtinent; At venæ portæ ramus dexter & ſiniſter eandem ſubſtantiæ ſpeciem habent, ad ſenſum etiam; Ergo. Illa autem actio eſt, vehere chylum. *Major* probatur *ex 6. Sent. Hipp. & Plat.* 8. ubi dicitur, propriam cujuſlibet partis actionem ſequi pro-

propriam ſubſtantiæ partis illius ſpeciem.

Heic, ſi quis velit alia omnia ingerere de diverſitate rami Meſenterici à ramo ſplenico, & hujus quidem partem, qua lienem ingreditur, caudam appellare, illius autem, qua hepar, caput; velit etiam de ramis, de caudice ſeu trunco, de radice non pauca ſpargere: huic ego dicam, Si vena portæ cum plantis comparari debet, oportet partes cum partibus componere, *v. g.* Meſaraicas cum radicibus. Cum enim trahant alimentum ex inteſtinis, non ſecus ac radices è terra, 4. *part.* 4. cum his etiam non cum ramis conferri debent. Hinc ſequetur, ut truncus ſeu caudex dicatur, ramus tantum Meſentericus. Ut enim, poſtquam ex radicibus, in unum collectis, factus eſt truncus, dividitur is in ramos aliquot majores, quin rurſus in minores, & hi iterum in minimos: ita de vena hac fit.

2. Ducitur *à Rami ſplenici ortu*, qui eſt à vena portæ, non autem ab hepate.

Hoc melius intelligitur ex antitheſi Galenica. Ramus hic non poteſt vehere excrementum id, quod Gal. nobis pingit. Ipſomet enim dicente, Co-

ctio fit, non in portis hepatis, ſed in hepate ipſo. At ramus hic ſubſtantiam hepatis ne forinſecus quidem attingit. Non ſolum autem attingere debebat, ſed & ſubſtantiam ipſius ingredi, ſiquidem eandem rationem cum poris choledochis habet. Et ingredi, non uno ſtomacho tam lato, ut ipſus deſcribit ſplenicum 5. *uſ. part.* 6. ſed non ſecus ac in veſica, quæ de ſenſu Gal. eſt *ἀντίστροφος* lienis, poris multis & anguſtis, per ſubſtantiam hepatis quaquaverſum diſperſis, ut terra hæc ex omnibus hepatis angulis conquiri poſſit, & cogi denique in unum, quemadmodum fit de bile.

Quod quia non eſt, jam illi debent dicere, vel ſponte ſua, vel hepate expellente ire excrementum hoc ad lienem, liene interim otioſo. Ego vero non puto, illos quidquam horum dicturos. *Non primum*, ne demant Naturæ imperium ſuum. *Non ſecundum*, ne cum malo expellatur bonum. *Non tertium*, ne lienem orbent facultate illa quam omnes aliæ partes habent, attrahendi ſua,

Iiſdem difficultatibus urgentur, qui ex 4. *uſ. p.* 15. 5. *uſ. part.* 6. 6. *Loc. aff.* 1.

ita

ita pingunt Gal. ſententiam, quaſi voluerit, Lienem trahere non merum excrementum, ſed bono ſanguini permiſtum, quia non ſecus ac renes trahat per amplum orificium. Hoc enim dum dicunt, dicere etiam debent, Lienem, ut Renes, ſeparare tantum ab excremento ſanguinem ſuum. At vero cum dicunt, ſanguinem, in hepate factum, in liene denuo fieri: dicunt, quod per renum naturam fieri non poteſt puta ut ſanguis maneat. Quid autem? Gal. ipſe 4. *uſ. part.* docet, *Lienem per ſe facere ſanguinem, non factum accipere.*

Sub hac nube latent, ni fallor, illi, qui dicunt, Lienem non facere, ſed perficere ſanguinem. Intelligo enim perfectionem, ut ſanguis fiat aptus alendo lieni: Ipſimet enim dicunt, Lienem nutriri, non craſſo illo, quod trahit, ſed tenuiori. At vero cum comparant perfectionem hanc cum perfectione illa, quam cor tribuit ſanguini, longius abeunt, quam unde reditus illis concedi poſſit.

Hinc ita infero, *Splenicus trahit id, quod exortu ſuo contingit; At contingit chylum. Ergo.*

3. Argumentum petitur, *ab ejuſdem*

rami progressu. Dividitur enim ſtatim in ramos multos, quorum plurimi in ventriculum feruntur: quos ſi ramis Meſentericis compares, non inepte dixeris, eſſe utrorumque idem officium. Una enim origo & una ſubſtantia deſignat unam actionem.

Hi rami quomodo poſſunt vehere excrementum Galenicum, cum in ventriculo generari ne per ſomnium quidem dixerit quiſpiam? Quin chylum vehere, concedit ipſe Gal. 4. *uſ. part.* 1. 7. 8. & 17.

An propter hos lien eſt ventriculo proximior quam hepati, ut video dicere illos, qui negant, medicamenta ſplenetica proficiſci tam longum iter, quam vulgo creditur? Si enim de poſitu intelligere vellent, eſſent ineptiores, quam ut opus ſit verbis. Certe propter hos major eſt conſenſus ventriculi cum liene, quam cum hepate, & per hos fiunt crebriores ſanguinis vomitus, ut Rond. docet *apud Cratonem Conſ.* 123. Per hos etiam Card. Cibo apud Valverdam, aliiſque omnibus fiunt vomitus illi, quorum mentio fit infra. Eadem eſt ratio crebriorum ex liene hæmorrhagiarum, de quibus Holl. *in*

Conc.

Conc. Com. 1. *l.*2. *Aph.* 21. quamvis per alia vaſa fiant illæ. Et eſt jam ſtatus hic præter naturam, ut bene diſtinguit Bonamicus.

Sed ut redeam, licet utrumque habeant rami hi, non ſecus ac Meſaraicæ: tamen, quemadmodum hæ potiori ratione ſerviunt chylo, ita illæ ventriculo, cum alimentum ferunt, ſive id ex hepate accipiant, ſive ex liene, quod nunc non definio. Hoc ut credam, auctoritas facit ſummi Anatomici, ejuſdemque præceptoris mei obſervandiſſimi, *D. Hieronymi Fabricii ab Aquapendente*. Hunc enim docere nos memini, valde exiguum eſſe, quod venæ dictæ ex ventriculo trahunt, quamdiu Meſaraicæ bene ſe habent. His autem obſtructis, aliam inire viam Naturam, alienum non eſt ab ipſius prudentia.

Et hoc jubeo conſiderare illos, qui neglecto magno illo ſtomacho, ut Gal. appellare dixi, urgent venas has tantum exiles, idque auctoritate Hipp. Has ſi præficere forte volent tractioni excrementi Galenici: non eſt cur illos moremur. Cum enim longius abſint ab hepate, quam ipſe ſtomachus: qui poſſunt id facere?

4. Argumentum accipitur *ab illius ejuſdem rami in lienem inſertione.* Prorſus enim ut in hepate venæ, in plurimos parvos canales diſpeſcitur qui, ut ibi quoque, per ſubſtantiam lienis diſſeminantur. Chylum igitur trahunt, ut hepatis quoque venæ.

At vero ſi excrementum traherent, debebat id, ut in veſica biliaria, recipi in cavitatem aliquam inſignem, qualis in liene nulla eſt. Tanto magis debebat id autem eſſe, quanto craſſius eſt hoc excrementum bile. Rurſus tanto minus concedi id poteſt, quanto tenuiora ſunt vaſa lienis, & cum innumeris arteriis complicata, quæ faciunt denique, ut calor lienis jam ſit alius à calore hepatis, poſſitque dici à Bonamico appropriatus.

Nec me movet, quod Gal *l. de Atrab.* 9. argumentum à ſimilitudine cum veſica biliaria ductum vocat ridiculum, Quia in quibuſdam animalibus veſica illa non ſit, licet eadem animalia (Coſtorus 4. *Phyſ. Diſq.* nominat equum, mulum, aſinum: vide Ariſtotelem 2. *Hiſt.* 15. 3. *part.* 12.) non deſtituantur bile. Non tam enim intueor cavitatem, quæ non eſt heic, quam texturam vaſorum,

quæ

quæ ſunt heic, & quidem cum mole carnea. Cum enim natura facile potuiſſet cavitatem parare, ſi pro meraco excremento paraſſet lienem: neglecto illo, quod facilius eſt, fecit, quod difficilius eſt, & quidem id, quod facere ſolet, ubi coctionem novam & elaborationem ſpectat.

Si objeceris, *pro chylo tam terreſtri, opus eſſe vaſis non tam exilibus, ut fibræ videantur eſſe, non vaſa:* dicam nunc, (dicam autem infra plura) Ita potius eſſe debere, ut eſt, non autem ut tute ſomnias. Chylus enim adeo frigidus debuit concidi in partes minimas, ut omnes illius particulæ contingerentur à calore viſceris, coquerenturq; quam diligentiſſime. Eo ipſo fine, ut colligo ex 4.*uſ. part.*15. tam multæ ſunt heic arteriæ, ut affatim ſuppeditaretur calor à corde. Quanto enim calidior eſt ſiniſter ventriculus dextro: tanto major copia caloris per arterias venit ad lienem, quam per venam cavam ad hepar. Ideo *viſcus arterioſum* dicitur lien, 4. *uſ. part.*15.

4. Argumentum ſumitur *à ſubſtantia lienis.* Cum enim non minus ſit παρέγχυμα, quam hepar: cur non & ipſum trahat chylum?

Et fieri tractationem lienis, non ab alia ejus parte, quam à carne, docet Galenus conceptis verbis loco jam citato. Quod autem lien trahat, non χυμοὺς μελαγχολικοὺς, id est, ut alibi se explicat, excrementum secundę concoctionis crassum, quod Melancholiam alias appellat: persuadet

6. Argumentum, quod est *à positu lienis*. Nam elatissimam quoque, ut jecur, inquit Felicissimus nunc Platerus, præceptor meus, ventris inferioris sedem, sub septo proximam, obtinuit. Ut igitur ren oppositus est reni: Ita hepar hepati. Hoc amplius confirmat

7. Argumentum, quod pendet *à vasis lienis*, eorumque textura, non valde dissimili texturæ illi, quæ in hepate est. Quemadmodum enim ibi rami venæ portæ implicantur, & per mutuas ἀναστομώσεις conjunguntur cum ramis venæ cavæ: ita heic vena splenica implicita est Arteriæ splenicæ. Ibi autem si factum est propter chyli confectionem: dic mihi, ô tu, causam diversitatis, cur heic non sit factum propter eandem causam?

Hoc planissimum facit antithesis.

Ubi-

Ubicunque Natura fabricavit organa pro receptione excrementorum, ibidem etiam cavitatem formavit, in quā excrementa illa recipiuntur; At in liene non fabricavit Natura cavitatem, in quam excrementum craſſum tertiæ coctionis recipi poſſet; Ergo. *Major* probatur exemplo inteſtinorum, exemplo veſicæ felleæ; exemplo renum, exemplo veſicæ urinariæ. Confirmatur etiam amplius *αὐτοψίᾳ*. Organa jam dicta omnia ſemper habent in ſe aliquid excrementi ſui, At lien nunquam habet, Ergo. Oportet autem hoc intelligere de puro excremento, qualia ſunt in jam dictis organis. Quæ enim comparantur, comparantur ſecundum idē.

8. Argumentum *à magnitudine viſceris* eſt. Cuilibet parti dedit Natura magnitudinem eam, quæ proprio uſui ſit accommodata. At hæc lienis magnitudo loquitur potius peculiarem aliquam actionem, quam excrementi receptionem. Quot enim partibus major eſt veſica fellea? Tricenis forte. At vero, quia excrementum melancholicum eſt minus copioſum bile, teſte Gal. 5. *uſ. part.* 6. debebat utique receptaculum etiam eſſe minus. Rurſus lien

est minor hepate: quia, ut sæpiuscule jam dictum est, non tantum chyli trahere debuit, quantum hepar trahit.

Neque sublevat heic quidquam distantia loci, & δυσκινησία excrementi, quæ duo causatur Gal. *loc. jam cit:* obstant enim alia omnia, secumque remedium afferunt his incommodis præsentaneum.

Lienem trahere talem chylum.

CAP. VIII.

Si bene ostensum est in superioribus, Lienem habere illa tantum, quæ propter pulmonem sanguineum bibunt multum, & propter ventriculum membranaceum concoquunt parum, ut postea non sufficiat domando illi chylo unum hepar: fuerit utique ostensum etiam, *lienem chylo illi dicatum esse*.

Verum, cum illa frugalitas possit aliquem tenere suspensum: age videamus *rationes*, quæ cogant nos id fateri, quod res est.

Harum

Harum I. eſt, quam præbet *ſubſtantia lienis*. Licet enim carnea ſit, perinde ut hepatis: differt tamen caro à carne tantum, quantum chylus à chylo. Chylus enim hepatis quia ſanguini eſt viciniſſimus: deſiderabat carnem talem, qualem videmus hepar habere. Chylus lienis quia longe abeſt à natura ſanguinis: deſiderabat pariter carnem talem, qualem lien habet.

Quare non immerito ad lienem tranſtulerit aliquis jocum, quem de hepate dixiſſe Medicum quendam, autor eſt Gal. 13. *Meth.* 16. Si enim hepar propterea eſt *lutoſum*, quia facile tentatur ſcirrhis: fuerit profecto lien multo magis *lutoſus*, quia facilius tentatur ſcirrhis, propter nutrimenti, quo utitur, ſpeciem, ut loquitur Gal. *l. c.* quo ſe refert. 9. *κ. τόπ.* 2. Nos autem de chylo idem poſſumus dicere, quod ille de ſuo nutrimento.

Poteſt vero ob aliam etiam cauſam *lutoſus* dici, quia *μανὸς*, rarus eſt, ut ex Platone dictum eſt. Autores enim ſunt optimi, qui ſcribunt, Tam rarum eſſe lienem, ſeu, quod idem eſſe judico, mollem & lutoſum, ut ſucco craſſo facilior eſſet exitus, & minor deſtructionum metus.

Con-

Confirmat ſimilitudinem, quod Hipp. ſcribit *l. de aëre, aquis, & locis*, *N.* 8. apud Marinellum, & laudat Gal. 3. *Hum.* 4. *Eos, qui habitant loca paludoſa, fieri lienoſos.* Quia aqua illa lutoſa habet ῥοπὴν ad lienem lutoſum. Talis locus erat forte Caria, in qua *mortuos ambulare*, dicebat quidam.

Quin omnem aquam, adeoque omne liquidum, habere momentum ad lienem, confirmat *vetus præceptum, quod jubet lienoſos parum bibere.* Meminit hujus Vall. 7. *Epid.* in Eudemo his verbis, *potu vero pauco*, inquit, *uti debere lienoſos, & multo plurimum lædi, periclitarique fieri Hydropicos:* res eſt expertiſſima, neque ratio obſcura. Cum enim lien ſit ſpongiæ ſimilis, plurimum aquei liquoris imbibit, atque diſtenditur, obruiturque in eo facile calor, &c. Hinc apud practicos diligentiores (hos inter Mercurialis 3. *conſ.* 31.) potus in lienoſis omni ingenio circumciditur, quemadmodum etiam juſcula. *Et novi ego* ſpleneticos, *qui ſæpe toto prandio, aut tota cœna nihil plane bibunt. Statim enim atque biberunt, ſentiunt in ſiniſtro hydropico borborygmos validos, qui non tantum pudorem apud*

com-

commensales incutiunt, sed & appetitum dejiciunt, &c. Vidi etiam hydropicos ex liene, *qui de coctis aperientibus, quibus alios videram mirifice juvari, non tantum non adjuvabantur, sed & lædebantur. At vero cum darem sicca aperientia, cum tantillo liquore, qui posset deducere, sentiebant se levari.*

II. Est, quam dat *positus lienis*. Non tautum enim Gal. docet 5. *us. part. 6.* sed & αὐτοψία ostendit Lienem non prorsus è directo oppositum esse hepati, sed decliviori loco. Debuit autem ita esse, ut materia tam gravis eo iret faciliori semita, ceu colligere est *ex* 4. *us. part.* 4. *&* 7.

Hanc rem pulcre explicat, quod Anatomici quidam ajunt, *In quibusdam lienem esse altiorem, in quibusdam depressiorem, semper tamen infra hepar.* Hoc didicerunt ex Hipp. 4. *Epid. in constitutione Boreali, 6. Epid. 2. tit. 39.* unde ita argumentantur: Si in statu pręter naturam lien aliquando ita vergit deorsum, ut tactu deprehendi possit: in iis, qui in latitudine sanitatis declinant ad temperamentum Melancholicum, amplius verget deorsum, quam in iis, qui non inclinant.

Dicis,

Dicis, *hæc ſunt à vi plaſtica, non ab humore.* Reſp. Ita quidem eſt : at cum vis illa formet ſingulas partes ex materia apta : lien autem non poſſit non formari ex ſanguinis parte terreſtriori: veriſimile eſt, gravitatem humoris facere etiam aliquid ad poſitum.

III. eſt, quam affert *figura lienis*. Eodem enim modo, ni erro, licet argumentari, cum lien natura ſua ſit μακρὸς 1. *Hiſt*. 17. 4. *uſ. part*. 8. 3. *prorrh*. 52. in quibus abundat Melancholia, erit μακρότερος, & fere ad medium abdomen perveniet, detruſus eo iniquitate humoris ſui.

An in hoc hominum genere tantum facile propendet lien extra coſtas nothas, ut tactu deprehendi poſſit, Mollis, an durus ſit? Quare falli neceſſe eſt illos, qui *ex 6. Loc. aff*. 1. ſubito in omni malo, & in omnibus periculum hoc faciunt. Ita autem videtur, Quemadmodum, ut 3. *diff. reſp*. 10. docet Gal. in iis tantum lien comprimit diaphragma, in quibus in maximum tumorem attollitur, facitque difficilem ambulationem, quod *Plautinus leno in Curculione* queritur : ita in iis tantum propendet, in quibus plurimum augetur. Fit autem

faci-

facilius in his, de quibus eſt ſermo.

Dicis, *Et hoc eſt à vi plaſtica.* Reſp. Non valde nego. Sed tamen video, pleroſque omnes ſtatuere, & hepar & lienem eſſe talia, qualia permittunt illis eſſe vicinę partes. Satis enim erat, quoquo modo tegi vaſa. Jam ergo heic quoque aliquid poteſt conditio humoris.

IV. eſt, quam ſuppeditat *ſuperficies lienis.* Non enim (*verba ſunt Veſalii*) ut jecoris & renum lævis eſt, ſed obſcuris quibuſdam & leviter extantibus tuberibus (ad eam fere formam, qua Elephantiaſi morbo inſigniter laborantium cutis) inæqualiter extumeſcere conſuevit.

Loquitur autem, non de Melancholico tantum liene, qui procul dubio evidentiſſima habet tubera: ſed de omni. Signum autem eſt hoc inæqualis ibi contentæ materiæ, ſive illam ante confectionem, ſive poſt conſideres.

Hinc reſponſum ſibi petant illi, qui negant, Melancholicum ſeu craſſum ſecundæ concoctionis excrementum eſſe in liene, quod in mortuo animali non apparet. Si enim volunt apparere, ut bilis apparet in veſica fellea: habent, quod

quod volunt. At si, ut Natura voluit in vasis scilicet, non in cavo: jam hinc satis certi esse possunt. At crassa est Melancholia, & cavum requirit? Non requirit. Est enim crassities cum conditionibus illis, de quibus cap. seq. Non requirit etiam propterea, quia Natura non moliebatur ejusmodi abusum aliquem, qualem bilis. Hunc enim ut præstaret, debuit colligi in cavum, è quo deinde ἀθρόως effunderetur. In quibusdam autem si cavum non est, meatus ipse satis amplus est, ut sufficiat illi copiæ, quæ abusui suo satis est.

V. est, quam subministrat *color lienis.* Atro enim & perquam obscuro colore nigricat, inquit idem Vesal. iterum de homine sano loquens. Nam aliorum alius est color.

Sunt autem in ipsis etiam sanis gradus quidam coloris, ut in vestibulo quoque dictum est. Interim lien, si cum hepate conferas, semper minus luculentus est, ut *ex* 4. *us. part.* 15. (tam in vivis, quam in mortuis) doceri potest. Obscurum autem seu opacum est à terræ crassitie, quam aër penetrare non potest, 5. *Gen.* 6.

VI. est, quam judicat *sapor lienis.* Est enim

enim in eo (si coquatur, aut assetur, intellige, muteturque ita natura contenti in illo humoris) perspicua acerbitas, inquit Gal.3. *Alim*.12. adeo quidem, ut in calidioribus & siccioribus (in his enim res manifestior est)comedi non possit, quod addere licet ex *de Atrab*.7. Sapor autem acerbus terræ est.4. *Simpl*.8.

Acidum esse (dicis) *concedo: Acerbum autem nego*. Dico ego, 1. Si inter acidum & acerbum is est ordo heic, qui alias in natura est, docente Gal.4.*Simpl*. 8. acidum ne fuerit quidem, nisi antea acerbum. Ita autem fiet, ut aliquando sit acidum, aliquando acerbum. Hunc ordinem esse, videtur Gal. ipse judicare, cum στρυφνότητα præmittit τῇ ὀξύτητι. Sed non sit: dico 2.cum Gal. 4. *simpl*.15.Acidum & acerbum fere esse simul. Si igitur tam sibi cognati sapores sunt, quid miri si acidum dicis tu, quod ego acerbum?

Si neque acerbum, neque acidum esse contendis, & experientiam tuam affers: dicam 1.Experientiam forte te fecisse in vervecibus, vitulis, porcis, aliisque humidioribus, in quibus obscuratur sapor ille. 2. Experientiam tuam esse falsam,

falſam, quod non habeas guſtum tam exercitatum, quam Gal. habuit. Exercitium autem heic etiam valere, diſcimus ex illis, qui vina prægustant. Quin alium alio plus valere in hoc genere, docemur ab aquę potoribus, qui ſciunt diſcernere aquas, quod alii neſciunt. Quid autem ſi in coctione & præparatione ſit peccatum? Cum enim & viſcus, & contentus in illo humor parum habeat caloris innati: non indiget etiam magno calore externo, qui acorem inducat. Ut enim vinum Neccaricum facilius aceſcit, quam Rhenenſe: ita heic. Quare fieri poteſt, ut, ſi diutius aut violentius uratur, exeat omnis acor, quomodo etiam videmus acetum amittere acorem ſuum.

His, mantiſſæ loco, accedat, &, ſi ita videtur VII. rationem conficiat, *Adverſarii teſtimonium*, cujus quanta ſit vis, non dicam heic.

Cum enim 2. *fac. nat.* 9. quo ſe refert 4. *uſ. part.* 15. docet, *Lienem aſſumere craſſa, eademque elaborare:* quid aliud illum dicere putas, quam Lienem aſſumere chylum craſſum, eumque elaborare? Craſſum enim illud cum ſanguis nondum ſit (alias non haberet opus elabo-

laboratione) quid aliud ſit, quam chylus? Is enim in ſanguinem, ſed tenuem, ut in *de uſ. part.* docet, elaborari poteſt. At ſanguis craſſus, accedente nova elaboratione ſeu novo calore, tantum abeſt, ut abeat in ſanguinem tenuem, ut ſcribente Gal. 2. *differ. febr.* 9. *& alibi*, craſſior pars, abſumta ſcilicet omni humiditate, in melancholiam, tenuis in bilem faceſſat.

Idem cum 9. κ. τόπ. 2. ait, lienem trahere ἰλυὼ τοῦ αἵματος, ἐξ ἧς ἡ μέλαινα γεννᾶται χολὴ: quid aliud dicit ab eo, quod dicit Ariſtoteles? Niſi mavis convinci, illum ταυτολογεῖν, Lienem trahere Melancholiam, ut faciat inde Melancholiam.

Idem cum 13. *Meth.* 16. inquit, Lienem ali ὑπὸ τοῦ παχέος αἵματος, ὃ καθάπερ τὶς ἰλύς ἐστι τοῦ καθαρωτέρου, καὶ ῥᾷστα γίγνεται μέλαινα χολὴ: hunc affert mihi ſenſum, *Alimentum Lienis eſt ex craſſo illo chylo qui eſt velut limus purioris, ex quo limo facile fit Melancholia.* Hoc niſi das mihi, dicam iterum, illum ταυτολογεῖν, Lienem ali Melancholia, ex qua facile fit Melancholia.

Cæterum, cur his locis non chylum dicat, ſed ſanguinem, cum revera illi

ſermo

ſermo ſit de chylo: ratio videtur eſſe, Quod chylus, ſuperato jam ventriculo & inteſtinis, incipiat induere aliam naturam, illam videlicet, ad quam naturaliter propendet, ſanguinis, inquam, ut *Gal.* 4. *uſ. part.* 12. explicant omnes.

Breviter, intelligit Galenus per craſſa illa & ſordida, vel aliquid, quod ſupra ſanguinem eſt, vel aliquid, quod infra ſanguinem eſt. Non illud: Ait enim, fieri ex illis, non tantum ſanguinem, quo lien nutritur, ſed & excrementum quoddam ſanguinis, quod expurgatur. Ergo hoc. Jam, quod infra ſanguinem eſt, oportet ſit alterutrum horum, vel chylus, vel pituita. Pituitam autem vel ventriculi vel hepatis, ad lienem ire, & ibi in ſanguinem mutari, nemo unquam vel per ſomnium dixit. Ergo *chylus eſt craſſum illud & ſordidum, quod ad lienem amandatur, ut ibi conficiatur*, etiam de Galeni ſententia.

Cujus ecce tibi verba paulo minus quam Ariſtotelica. Κατὰ τὴν τοῦ αἵματος γένεσιν ὅσον αὖ ἱκανῶς παχὺ καὶ γεῶδες ἐκ τῆς τῶν σιτίων φύσεως ἐμφερόμενον τῇ τροφῇ, μὴ δέξηται τὴν ἐκ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἀλλοίωσιν, ὁ σπλὴν εἰς ἑαυτὸν ἕλκει.

ἔλκει τοῦτο. Erunt autem propria nobis, ſi ita interpreteris, quod ſine violentia feceris. *Quod attinet negotium ſanguificationis: Quidquid in cibo aſſumto craſſum nimis eſt & terreum* (ubi hoc ſubaudiendum eſt: Idipſum non poſſe non habere multum vehiculi, alias de viſcere in viſcus ire non poſſet) *ut à calore nativo* (hepatis) *percoqui non poſſit: id trahit ad ſe lien.* Locus eſt in *de fac. nat. cit.*

Refutatio quorundam objectorum.

CAP. IX.

Quandoquidem eorum quidam, qui *de lienis uſu* accuratius cogitarunt, viderunt quidem, lienem ducere aquam, aquoſumve chylum; videre autem noluerunt, lienem cum aqua multum cœni, ſordiumque allicere, quod eſt, *Talem chylum* trahere, qualem jam monſtravi: operæ precium fuit viſum, antequam ulterius eatur, removere obſtacula illa.

Quan-

Quantum autem intelligo, *duo* sunt, quæ morantur illos. I. *Metus obturationis*, 2. *Tenuitas vasorum*. Sed inane est utrumque.

Videntur enim sibi imaginari chyli partes, quas ego cum antiquioribus dico *terrestres*, esse saxum quoddam ingens, cui volvendo opus sit Sisypho: quin bovem Tarentinum, aut bonasum, qui non felicius ingrediatur per fores cuniculi, quam funis nauticus, quem κάμιλον (non κάμηλον) Græci appellant, per foramen acus. At cogitare debebant, Id quod in chylo terrestre est, esse id, quod in alimento terrestre erat. Terra vero in mistura alimenti cum sit redacta in minimas particulas, & cum minimis aliorum elementorum particulis ita unita, & fermentata, si sic loqui possum, ut sensu nullo appareat: quidni fuerit in chylo etiam talis?

Hoc declaro *exemplo*, accepto à cineribus lignorum. Quemadmodum terra in mistione lignorum tam exquisite est permista cum reliquis elementis, ut non magis occurrat sensibus, quam reliqua: tamen, cum ligna comburuntur, tam non latet illa sensum, ut

cinc-

cineres etiam copioſos conſtituat: ita heic etiam.

Amplius, *exemplo pinguedinũ*. Quemadmodum terra in illis tam latet, ut nemo oſtendere illam poſſit; tamen cum pinguedo uritur, oſtendit ſe ſatis copioſe in fuliginibus: ita heic etiam.

Dum enim alimentum à calore animalis reſolvitur in minimas particulas, & tantum non ἀναστοιχειοῦται: non poteſt non ſupereſſe, quod terreum eſt, ſed in minimorum minoribus particulis.

Jam igitur craſſum hoc, neque tam formidoloſum eſt, neque tam ſuperbum, ut, ni pateat ampliſſima janua, periculum audeat intentare. Quod ut credas, ſi induci his non potes, accipe etiam hæc alia ἐκ περιουσίας.

I. Craſſum hoc & terreum pars alimenti eſt. τροφὴ δὲ πάντων, ὑγρὰ μᾶλλον, 1. *Gen*.18. *extremo*.

II. Idipſum jam in ſecunda coctione eſt, poſtquam ſcilicet plurimũ ejus, quodque maxime fæculentum eſt, deciſum eſt.

III. Idipſum quod ſupereſt, multa aqua perfuſum eſt adeo, ut anguſtiſſimis meatibus ſit contentum.

IV. Si

IV. Si compares inter ſe terreum & aqueum, aqueum prædominabitur, adimetque tibi vanum timorem.

V. Terreum iterum tanto eſt in minori copia, quanto cibi ipſi minus Melancholici ſunt, ut ſic dicam, individuumque minus ad generationem illius humoris propendet.

VI. Idem non eſt lentum ſeu viſcidum, ſed, quod dicitur, terreum, id eſt, friabile & pulverulentum.

VII. Idem non eſt quietum in liene, ut, ſuperveniente materia nova, compingatur ibi quaſi cuneo quodam, ſed coquitur, quod eſt, calor pervadit illud totũ, & ſeparando utile ab inutili, ſuſque deque agit, uſque dum habeat perfectionem illam, quam ſuſcipere poteſt pro conditione ſua.

Dicis, *quid ſit igitur tandem chylo illo?* Dixi ſupra, non ex Hipp. tantum, ſed & Gal. 4. *de uſ. part.* 15. fieri inde ſanguinem tenuem, lacti macro, quale eſt caprillum, ſimilem. Quare cum idem Gal. docet, (*6. loc. aff.* 1. *& alibi*) ſanguinem, à liene attractum, eſſe craſſiorem ſanguine hepatis: intelligendus eſt, quomodo cap. præced. explicavi.

Et hæc unica eſt ratio liberandi, Galenum

lenum quidem τοῦ βαρυλαίλαπος, nos autem τῶν βαρκαρδίων nomine.

Quid iſtuc autem eſt? videor mihi omni jure dicere poſſe, Eos, qui tantopere ſatagunt, ut craſſa omnia à liene avertant, eſſe ipſiſſimos βαρυλαίλαπας καὶ βαρυκαρδίους. excitant enim novas, inauditaſque procellas, & præ amore ſui, non intelligunt, quæ intellectu facilima ſunt. Nimirum, non tantum hactenus oſtendi, vetuſtiſſimos quoſque admittere craſſa: ſed & expoſui rationes, quibus planum fit, admitti poſſe.

Age autem, quandoquidem ſuis rebus tam bene confidunt, ut ne à conviciis quidem abſtineant, dicent mihi.

I. Quando aliter fieri non poteſt, ut non ſint in alimento partes quædam terreæ, & ob id craſſæ, quas ipſimet appellant Melancholiam; illæ vero non magis nutrire poſſunt, quam cineres aut fuligo (de quibus nuper) comburi: quid fit illis denique? Heic profecto illis aqua hæret: & tamen, ne manifeſte deprehenſos ſe eſſe fateantur, non dicunt quidem, nihil ſupereſſe poſt exactam ſucci in liene coctionem, attenuationemque, quod Magnum

quendam virum dicere, valde miror; ſed dicunt, Melancholiam eſſe venarum excrementum, & vacuari per Emulgentes, adeoq; præbere materiam ſedimentis urinarum. Hoc cum novum ſit, neque ulla ratione probatum, confirmatumque: eadem facultate rejicitur, qua datur. Interim, ne nihil prorſus dixiſſe videantur, Bertruccium allegant, Collectorii ſui tract. 6. ſect. 3. c. 3. At vero Bertruccius tam non favet huic rei, quam pituita non eſt melancholia. Id autem ex toto contextu cognoſcere eſt, quem non allego, ne fruſtra ſim copioſus. Jam igitur illi non poſſunt oſtendere alterum ſeu craſſum ſecundæ coctionis excrementum: ego autem poſſum.

II. Quando certum eſt, & quotidiana experientia Medicorum confirmatum, Lienem, quamvis ideo factum rarum, ne facile obſtrueretur, tamen maxime obnoxium eſſe obſtructionibus, idque ob cauſam, ſupra ex Gal. allegatam: queî poſſit ejus rei ratio reddi, ſi mera aqua ad lienem it? Sed calcitrant, *Tubi non ſunt idonei:* Immo vero ſunt. Ramus enim ipſe ſplenicus an non ſatis patet? Venæ etiam & arteriæ,

teriæ, per ſubſtantiam lienis diſperſæ, an non numero complent, quod in magnitudine ipſis deeſt? Neque vero etiam magnitudo tam eſt nullius momenti, ut ipſi putant, quod ſtylum non admittant: non enim ſemper neceſſaria eſt tanta capacitas, quæ ſtylo ſatis ſit. Si enim ſit ea quæ humorem admittere poſſit, quid amplius ſoliciti ſumus? Securi autem erimus amplius, ſi conſideraverimus, quæ in veſtibulo dicta ſunt ex Hipp. de lienis cavitate, vaſorumque ipſius latitudine, & mirifica invicem complicatione, &c. Et quod non ita pridem dixi, Tam parva debuerunt eſſe vaſa hæc, ut chylus in minimas partes divideretur: & jam hoc addo *ex* 4. *uſ. part*.13. debuerunt etiam ita ſibi invicem complicari, ut materia diutiuſcule (ad perfectam ſcilicet coctionem) ibi morari poſſit. Jam ergo illi non poſſunt reddere cauſam obſtructionum lienis: ego autem poſſum.

III. Quomodo avertere à ſe velint id, quod *de Atrab*.1. Eraſiſtrato obiicit Galenus, Neglexiſſe illum affectus ab hoc humore, de quo agimus, ortos, quanquam priores eo, inquit, non ſolum Philoſophi & Medici. ſed omnes

vulgo affectum quendam Melancholicum nominant, purgationeque albi veratri curationem aggrediuntur. Nemo enim inter Græcos altus, adeo rudis, indoctuſque eſt, quin legerit vel audierit, Prœti filias, furore percitas, ſic à Melampode purgatas curataſque. Quo fit, ut non ſolum ſupra ducentos, aut trecentos annos, ſed multo plures celebris fuerit hæc purgatio omnibus quoque interea temporis medicamento illo utentibus. Et ita quidem ille queritur: quod ad vos, ô iſti, omni jure tranſtulerit quis. Immo, inquient, nullo jure: an non enim meminimus omnium pæne morborum Melancholicorum? Meminiſtis, inquam ego, vere. Sed hoc tantum. *Exemplo* ſit ſola Quartana, de qua inter rationes lectiſſimas dogmatis ſui agentes, reprobant cauſam illam, Cur longius duret? Craſſitiem, inquam, humoris Melancholici, aliamque comperendinationis afferunt, Inſcitiam Methodi, à Galeno 1. *ad Glauc*.2. traditæ. Heic ego quid dicam? Eone audaciæ provehi homines doctos, ut præ ſe contemnant & deſpiciant omnes alios doctos: quid vero? non contemnant tantum, ſed accuſent etiam

etiam calumniose, nec visione, nec eruditione sibi cognitos! Putatis ne, ô generosissimi omnium, *Aquapendentes, Saxonias, Minadoos*, alios tam nominatos, quam innominatos, esse fungos, & peponem pro cerebro habere? Jurare possum liquido, tam esse peritos Patavinos (de his enim tantum loquar) Medicos Methodi Galenicæ, quam forte θαυματȣ̃ργοι illi sunt: & tamen non posse subito curare Quartanam. Cujus rei tot vidi ipse, videruntque alii συμφοιτηταὶ Germani, exempla, ut ineptus sim, si numerem. Ergo jam ablata est causa comperendinationis, & manet tamen effectus: quid denique superest? Hoc nimirum, ut doceam, ipsosmet non intelligere methodũ Galeni. Quid enim illud est, quod dicunt, *Mollientia & laxantia non præscribi, ob crassitiem humorum?* Ergone ob tenuitatem? Vident, credo, boni viri, βαρυπρέπεια utri parti debeatur. Illine, cui obiicitur, an illi, quæ obiicit? Vident etiam, Negligi ab istis veram curam morborum Melancholicorum: fortean tolerari hoc posset, si non studiose etiam obscurarent, conquisitis in eam rem mirificis verborum cincinnis.

Dicent forte, *Quomodo lien, qui tenuis est & mollis, non valde dissimilis pulmonum substantiæ, potest trahere & nutriri sanguine crasso?* Respondi jam antea, Quatenus trahat sanguinem crassum, & quatenus dicatur sanguis, quod lien trahit. Jam jubeo illos distinguere inter actionem lienis *privatam*, seu illam, qua lien privatim sibi consulit, & illam, qua servit toti corpori, quam *officialem* vocat Averroës. Hac enim crassum trahit chylum, ex quo facit sanguinem tenuem, quo alit seipsum, quæ actio ejus privata est.

Lienem coquere attractum chylum.

CAP. X.

Cogit nos credere I. vulgare & ab omnibus concessum axioma, *Natura nihil facit frustra.* Si enim lien trahit chylum; chylo autem non nutriuntur partes ullæ: sequetur Lienem coquere chylum, ut inde partes quædam alantur.

Nec par ratio eſt, Lienem trahere propter expurgationem excrementi, quemadmodum etiam veſica utraque & renes trahunt. Pendet enim hoc ex ſuperioribus, in quibus probabatur, Lienem trahere, non excrementum, ut illi volunt, ſed chylum. Chylo autem cum debeatur perfectio, quæ coctio eſt: non poteſt concludi aliter, quam lienem perficere & coquere chylum ſuum.

II. *Subſtantia Lienis*. Cum enim non minus carnea ſit, quam hepatis, caro autem hepatis habeat principatum in ſanguificatione, ut docet Gal. 4. *uſ. part.* 12. 6. *Sent. Hipp.* 8: cur idem non ſit de liene? Videat igitur ipſe, cur 4. *uſ. part.* 15. adimat vim concoquendi carni, & tribuat ſolis arteriis?

Hæc eſt ratio Ariſtotelica, qua docet, Cur lien cum hepate ſanguificet? Quia, inquit, ſanguinea ſunt.

III. *Conformatio lienis*, tam ſimilis hepati, ut Gal. ipſe 4. *uſ. part.* 7. appellet ejus ἐκμαγεῖον. Agens enim de ventriculo, cui Natura circumpoſuerit duo viſcera, hepar & lienem, neque magnitudine æqualia, neque dignitate paria, *Majori*, inquit, *& principaliori ma-*

 jorem

jorem simul & honoratiorem locum tribuit, dextraque locavit parte: alterum, quod est ejus veluti ἐκμαγεῖον, sinistris ventriculi partibus protendit.

Ubi τὸ ἐκμαγεῖον esse vertendum, non *Expurgatorium*, ut vertit Calaber, convincit particula οἷον. Præterea consentiunt docti viri, esse ex Timæo Platonis, ubi Ficinus ita vertit. Et quia heic etiam sensus non permittit aliud, cur hæremus?

Huc faciunt verba Gal. *6. Loc. aff.* 1. *Lienem plurima habere cum hepate communia, quo fiat, quod differant secundum magis & minus.* Si igitur lien est hepar minus: cur non sit ejus ἐκμαγεῖον, ejus imago.

Et ἐκμαγεῖον quid aliud est, quam νόθον ἧπαρ, ut Aristoteli vocari dixi supra? quippe cujus ἐκλύπωμα καὶ ἐκσφράγισμα est, ut Budæus vertit.

Pertinet autem similitudo confirmationis præcipue ad vasa. Quorum cum non minor sit complicatio, quam in hepate; fiat autem ibi coctio: quæ ratio reddi potest, Cur heic non fiat? Nimirum, regula est 4. *us. part.* 13. *& alibi*, Ubiubi sunt complicationes, ibi nova aliqua fit elaboratio. Et heic cum sint, non fiat?

Hoc

Hoc planius fit ex antithesi, de qua supra. Si enim propter excrementum ita factus est, quid opus erat tanta cura, cum sufficeret sola cavitas?

IV. *Lusus Naturæ, quos* τέρατα vocat Aristoteles. 1. *Hist.* 17. 2. *Hist.* 17. 6. *Hist.* 21. aut σημεῖα, 3. *Hist.* 20. Scribit enim is 1. *Hist.* ἤδη ὦπται μετηλλαχότα τὴν τάξιν ἐν τισὶ τῶν τετραπόδων, Intellige, in dextris fuisse lienem, in sinistris hepar. Et 4. *Gen.* 4. ἤδη δὲ ἐγένετο καὶ μεθεστηκότα κατὰ τόπον, τὸ μὲν ἧπαρ ἐν τοῖς ἀριστεροῖς ὁ δὲ σπλὴν ἐν τοῖς δεξιοῖς. Et Plin. *l.* 11. *c.* 37. Cum hepate aliquando locum permutat, Lien, puta. Et ne tergiverseris, Dici hæc de quadrupedibus tantum, audi Herophilum, *l.* 2. *Anat. suæ,* ut quidem Gal. citat. 6. *Ex Anat.* 8. scribentem, *In paucis quibusdam hominibus hepar esse in sinistris.* Et ne desint testimonia nostrorum hominum, adde Corn. Gemmam *in Cosmocr. & Cyclogn.* (& qui inde recenset, Schenck. *in Obs.*) *Accidere id aliquando etiam in homine*, dicentem. Cujus autoritas si non sufficit, superadde τὸν θαυμασιώτατον Fabricium ab Aquapendente, quem idipsum etiam observasse, audivimus plurimi Germani, Itali, Galli, alii.

Hoc autem lusu an non apertissime ostendit Natura, *Et lienem esse hepar, proindeque posse etiam coquere?*

V. Ejusdem pene dignitatis est, cum Natura *lienem* facit *duplicem*, quod vidit Aristoteles. 4. *Gen.* 4. Rondeletius apud Posthium *in Obs.* Iul. Casserius, Placentinus, præceptor meus apud Schenck. Non dissimile quid vidimus Basileæ in ancilla decollata, quam publice secabat CL. D. Casp. Bauhinus, præceptor item meus. Imo vero *triplex* etiam fuit animadversus, ut de diligentissimi Fall. Obs. scimus.

Nempe, cum unus lien non sufficit operi, necessario fiunt plures. Opus autem id esse sanguificationem, verisimilius est, quam solam excrementi subductionem. Nam, ne dicam de aliis, cui bono geminata illa vasorum textura?

Idem pene valet, si lien sit major, quam solet esse, quod Hippocrati 3. *in* 6. *Epid.* 7. (apud Vall.) est σπλὴν μέγας φύσει: ideo Piccol. 2. *Lect.* 21. in his duobus casibus concedit, veram esse Aristotelis sententiam. A quo ego audire cupio rationem diversitatis, Cur idem usus non obtineat in liene naturaliter

raliter etiam ſe habente, quamvis non tam magno, non etiam numeroſo?

VI. Non inferiori loco eſt, cum Natura vere *duplex* facit *hepar*. Quod ſe vidiſſe teſtantur ſupra laudati Gemma & Fabritius.

VII. *Solertia Naturæ*, ſicubi enim contingat, ita vitiari hepar, ut ſanguificationi præeſſe amplius non poſſit: ſubſtituit ei lienem, pro totius corporis nutritione. Hoc docet imprimis *hiſtoria* Veſalii *l. 5. cap. 59.* de Bellarmato Iureconſulto, cujus hepar contractum, & magna ex parte conſumtum erat, lien autem magnus, mollis, ſaniſſimi jecoris inſtar coloratus. Confirmat etiam *altera* Reuſneri, de viro quodam, qui hepar habuit corruptum, lienem autem magnitudine, flore & colore cum hepate ſano certantem. Idem vult, virginem illam hydropicam, de qua Coiter *in Obſ.* habuiſſe hæmorrhagiam, non ab hepate, ſed à liene. Hoc crederem, ſi ſanguis ex ſiniſtra nare fluxiſſet. Adde, quod autor non dicat, Lienem fuiſſe ſanum, quod ille tamen præſupponit illum dixiſſe. Idipſum licet dicant, non dicunt autem, quale fuerit hepar, hiſtoriæ illæ, quas ibidem

ibidem habet idem Coiter de magnitudine lienum. Quare nec ibi res certa eſt lienem obiiſſe munus hepatis.

Hoc caſu quamvis non valde negem, ſanguinem gigni crudiorem, corpuſque ut plurimum non optime ali: tamen ſemper ita eſſe neceſſitas nulla eſt. Interim qualiſqualis ſit ſanguis, ſatis nobis eſt hic, talem in liene fieri poſſe ſanguinem, qui ſuſtentando toti corpori non ad dies, aut etiam menſes, ſed ad annos ſatis ſit.

An in hoc ſtatu ſanguis in liene factus, non it ad hepar, (quod obſtructum eſt, quin, non raro oſtracoſum) ut inde feratur ad cor, quod viſum fuit Viſcero, in θ. de hoc negotio: ſed recta ad cor, ex quo deinde fit diſtributio in totum corpus? Valvulæ enim Aortæ non exacte clauduntur, 3. *Fac. nat.* 13. Heic enim concedo, quod ſupra negavi, ob diverſitatem individuorum, de quibus utrobique ſermo eſt.

VIII. *αὐτοψία*. Hæc enim ad oculum oſtendit, verum eſſe, quod ſupra ex Hipp. & Ariſt. dictum eſt, ſanguinem in liene quidem tantum hominis ſani, in toto autem corpore Melancholicorum eſſe tenuem, diverſum omnino ab hepatico.

Hujus

Hujus rei testes dicam tres, Monavium apud Cratonem *in Epistolis*, Costæum, *l.4.Phys. disq.* Mercurial. *3.cons.* 44. quos uni Gal.1. *ad Glauc.*11. oppono. nisi ipse seipsum convincere potest illis verbis, quæ *ex 4.us. part.*15. sæpe hic laudantur.

IX. *Praxis* quotidiana omnium temporum. Hæc enim ostendit, tot & tales morbos in liene fieri, quot & quales fiunt in hepate. Sed quod huc facit, praxis ostendit, Morbos, qui pendent à læsa sanguificatione, decolorationes, inquam, cachexias, hydropas tam frequenter esse à liene, quam frequenter sunt ab hepate. Quod quia negligunt quidam, persuasi, pendere hæc omnia ab uno hepate, vel per πρωτοπάθειαν, vel per συμπάθειαν affecto; age videam, An possim probare, in quantis illi versentur tenebris? Faciam autem periculum in uno *hydrope*, à quo facilis erit transitus ad affines morbos.

Volo autem hoc mihi dari ab initio, τοὺς ὕδρωπας καὶ ὑδερώδεις καταστάσεις heic non esse distincta πάθη, quamvis revera sint, ut *ex 3. Caus. sympt.*2. liquet. Non enim hoc officit nunc negotio meo & vero utrumque malum à solo liene esse

potest,

poteſt, non affecto hepate.

Eam in rem clariſſimus eſt locus apud Hipp. 2. *Epid.* 1. *t.* 20. ut quidem Valleſ. diſtinguit. Agens enim ibi de hydrope, *quendam* ait *eſſe ab hepate, in quo color ſit pallidior, omnino magis ad albedinem tendens, quendam à liene, in quo color ſit nigrior.* Hæc ſi quis torquere velit & dicere, utrumque hydropem eſſe ab hepate, ſed hunc per πρωτοπάθειαν, illum per συμπάθειαν: vim faciat oportet toti contextui. Præterea, expreſſe ait, ἀπὸ τοῦ ἥπατος *eſſe illum,* ἀπὸ δὲ σπληνὸς *hunc.*

Nec abeſt ab hoc ſenſu Gal. qui 5. *Loc. aff.* 7. de hydrope agens, ἁλίσκεσθαι, ait, τινὰς παρεγχύσεσιν ὑδρωπικαῖς, σπληνὸς κακοπραγοῦντος, ἢ τῶν μετὰ τὴν νῆστιν τε καὶ λεπτὸν ἔντερον, &c. Et tum ait, πολλάκις ὄγκος οὐδεὶς ἐν ἥπατι φαίνεται. Nimirum, hoc vult, fieri quoſdam hydropicos ex male affecto liene (de aliis enim partibus non eſt cur heic dicam) etiamſi in hepate tumor ſit nullus.

Neque movet me, quod illi dicere poſſunt, *Non neceſſe eſſe, ſemper adeſſe tumorem, cum ſufficere poſſit ſola venarum hepatis intemperies,* quam etiam ob cauſam ſubito inferat Gal. Hydropem fieri

fieri non posse, nisi afficiatur hepar; quin imo 6. *Loc. aff.* 1. ad hunc se locum referens, præcidat totam litem duobus illis verbis, *συμπαθοῦντος σπληνὸς*: distinguo enim initium hydropis à progressu ipsius, & dico, Κακοπραγία lienis potest facere hydropem, qui, si diutius duret, rapit tandem hepar in consensum, & jam non unum viscus laborat, sed utrumq;. Tum vero etiam cum medicina afferri debeat primo omnium illi parti, quæ principaliter laborat; lien autem sit illa: quis non dabit mihi, recte dici abs liene esse hydropem? Est enim hydrops, antequam hepar afficiat: &, postquam hepar affectum est, curo lienem hydropicum.

Et hoc est, me judice, quod idem Gal. 3. *Aph.* 22. docet, *ὕδερος γίνεται διὰ τὸν σπλῆνα.* Nimirum, Hippocrat. ibi numeraverat morbos *autumnales*, qui & Melancholici sunt, & lienem habent sedem, interque illos Hydropem: quidni igitur hydrops quidam sit ex liene, qui tamen in consortium possit trahere hepar, si non mature curet?

Et quid aliud est, quod idem scribit 4. *præs. puls.* 9. *scirrhum lienis aliquando desinere in hydropem?* Tum enim an hy-

drops

drops à liene non eſt? nec curat curato liene? Quin ex Trell. *l.*8. *c.*12. docuerit aliquis, Non aliquando tantum, ſed ſemper id fieri.

Sed ſit ſane: non poſſit ex omnibus his locis evinci, Liene per πρωτοπάθειαν affecto, fieri hydropem: evincam ex *de Cauſ. ſympt.* 1. quem locum idẽ Trellianus *l.* 9. *c.* 3. citat, probare volens, hydropem quendam eſſe à cauſa calida, & Salius eodem fine *l. de aff. particul. c.* 9. Ibi enim cum doceat: Hydropem quendam fieri à colliquatione; colliquatio autem illa poſſit eſſe ſolius lienis: quidni Hydrops quidam ſit à ſolo liene?

Sed nihil nos juvet Gal. ſatis clara ſunt duo loca Hipp. quæ ex Epidemiis & Aphoriſmis attuli. Majorem vero claritatem acquirunt, ſi apponantur illis, non tantum duo alia, quæ ab initio ex 4. *de Morb.* & 1. *de Morb. mut.* allata fuere: ſed & illo, qui eſt *l. de morbis.* γίνεται δὲ καὶ ὕδρωψ, inquit, ἀπὸ τοῦ σπληνὸς, ὅταν νοσήσῃ. Unde ſic infero: *Si lien naturaliter eſt factus trahendæ aquæ; ubi contingit pluſculum ejus ingeri, præcipue, ſi lien ſit calidior ſeipſo: an non omnis ratio colligit, Lienem tum eſſe ſedem hydropis?* Acce-

Accedit, quod hydrops fiat, non tantum cum loco ſanguinis generatur aqua: ſed etiam cum aqua in corpore genita, non exit per ſua loca: Tum enim quid obſtat, aquam in liene genitam, præſertim in iis, qui μελαγχολικώτεροι ſunt, effundi in abdomen?

Quid etiam ſi effundatur in thoracem & faciat hydropem pectoris, quod ex Hipp. *l. de inter. aff.* docet Cæſalp. 7. *Artis* 27. & ſæpe ſe experientia comperiſſe eſſe verum, affimabat mihi olim CL. & Exc. D.D. Nicolaus Aggerius, Medicus Argentinenſis, dominus & hoſpes meus honorandus? Tum autem lien non ſit cauſa hujus hydropis?

Accedit, quod fiat hydrops non tantum cum aqua adeſt, ſed etiam cum flatus; flatus autem lieni (præcipue cum frigidior eſt) tam ſint familiares, quam nulli alii viſceri: quis non intelligit, Hydropem quendam hinc eſſe?

De hujus autem *curatione* hoc in univerſum ſciendum eſt, valde quam neceſſarium eſſe præceptum illud vetus, cujus ſupra facta eſt mentio, *ut parcus ſit liquidorum uſus*. Revera enim lien attrahit tantum, & non item dimittit, quod ipſa experientia me docuit. Hu-

jus

jus fundamentum petierit aliquis ex Hipp. *l. de Int. aff. N.*17. unde accepit Mercurialis 2.*Conſ*.49. ſerum lienoſis obeſſe dicens.

IX. *Adverſarii teſtimonium*. Ait enim 3.*Fac.*1.*nat*.13. Lienem κατεργάζεσθαι καὶ μεταβάλλειν ἐπὶ τὸ χρηστότερον id, quod ex hepate attraxit. Ejuſdem verba ſunt 4.*uſ. part*. 15.5. *uſ. part*.4.6. & 7.6.*Loc. aff*.1. *Lienem* κατεργάζεσθαι, καθαίρειν, μεταβάλλειν κατὰ πολλὴν χολὴν, ἀλλοιοῦν, πέπτειν humorem attractum.

Atque, ut ne putes, accipienda hæc eſſe de tertia vulgo dicta coctione, addit in *de fac. nat*. Facere elaboratum in liene ſuccum ad nutritionem, non lienis tantum, ſed aliarum etiam partium, qua de re mox. Quod ſi omnino velis ad tertiam illam coctionem per vim adigere: obiiciet forte ipſuſmet tibi, quod 1. *uſ. part*. 17. Lyco objecerat, Quomodo veriſimile ſit, unius partis tam copioſum eſſe excrementum?

Lie-

Lienem ali eo ſanguine, quem fecit.

CAP. XI.

Quemadmodum *hepar* nutritur eo ſanguine, quem fecit ipſe: ita etiam *lien*. Sed quemadmodum *ibi*, ob viſceris caliditatem & viciniam cum corde per venam cavam, miſcetur tantillum ſanguinis arterioſi: ita *heic*, ob viſceris & humoris contenti frigiditatem, miſcetur plurimum ſanguinis arterioſi.

Licet enim præcipue eo ferantur arteriæ tam multæ, ut cum ramo ſplenico faciant complicationes, non diſſimiles illis, quas in hepate faciunt cava & portæ; quamvis media pars vaſorum complicationis hujus in liene ſit ex arteriis, ut viſceris frigiditas emendetur, & coctio ejuſdem facilior, taliſq; qualis heic eſſe debet, evadat, etiamſi eædem arteriæ ex Meſenterio deferant ad lienem aliquid chyli: tamen deferre ex corde etiam ſanguinem, non dubito.

Cum

Cum enim hoc ſit perpetuum naturæ ſtudium, transferendi hinc quidem ex venis in arterias, illinc autem ex arteriis in venas ſanguinem, ut ex utriuſque permiſtione alimentum fiat jam alimentum: quis credat, fuiſſe illam heic ſui immemorem? Tanto minus autem potuit, quanto diligentior fuit in inſtituenda illa arteriali complicatione, de qua dixi.

Cur autem lien, non ſecus ac renes, non habuerint opus aliis vaſis nutritoriis, veluti opus habuit veſica utraque: in promptu cauſa eſt, à Gal. reddita 5. *uſ. part.* 7. Non enim lien & renes trahunt merum excrementum, quemadmodum veſica utraque trahit. Nempe, ut renes per Emulgentes dictas, ſtomachos ſatis magnos, trahunt ſerum, ſanguini permiſtum, quo ſanguine ſtatim ad nutritionem ſui utuntur renes: ita lien, per ramum ſplenicum, ſtomachũ etiam ſatis magnum, trahit chylum fæculentum, quo depurato, ſtatim inde capit emolumentum ſuum.

Eſt autem hæc depuratio non valde diſſimilis illi, qua metallarii aurum ex arenis ſeparant. Quemadmodum enim his, poſt longum & curioſum laborem

restant non nisi exiguæ miculæ, quæ postea in massam coguntur: ita lieni, post multam navatam operam, non nisi parum restat utilis, ex inutilis (ratione hepatis) magna strue.

Hoc simile si non placet, ecce alterum. Est depuratio hæc similis illi, quam moliuntur, qui ex fæcibus vini aut cerevisiæ colligunt aquam ardentem dictam. Ut enim his, post operosam destillationem, non nisi parum restat, si compares cum fæcibus: ita in liene.

Hoc parum non potest non esse tenue, quo ipso nutritur lien. Quod cum disertis verbis doceat ipse Gal. *4 us. part.* 15. jam ab ipsomet adversario testimonium habemus. Quod si non sufficit, accedat etiam aliud *ex* 5. *us. part.* 7. ubi coctũ à liene succum facessere in ipsius lienis nutritionem asserit. Quomodo igitur conciliabimus cum illis locis, quibus lienem ait nutriri crasso sanguine? An (quomodo supra diximus) per crassum sanguinem intelligere illum chylum? Quem si *in de Atrab.* 7. mutat in Melancholiam, addita ratione Lienem nutrire hoc excremento, ejusque rei argumentum esse, quod lien sit aci-

acidus, ut ipſa Melancholia : non habeo equidem colorem quo tegam. Videtur enim diſputationis fervore abactus, non diſtinxiſſe inter ſaporem ſanguinis alimentalis, & ſaporem excrementi, quod ſanguini alimentali permiſtum eſt, maxime, ubi à coctione ad ignem acuit. Et heic quidem agnoſco errorem: non autem ibi, ubi ille, qui in Gal. vitiis tam cernit acutum.

Et qui poteſt aliter fieri per rerum naturam ? Si enim unumquodque nutritur eo, ex quo conſtat ; lien autem conſtat ſanguine : quidni nutritur ſanguine? Conſtare autem lienem ſanguine duo perſuadent. 1.quod παρέγχυμα eſt apud Gal.2.quod rubet in recens natis, 4.*part*.7.

Lienem alere partes quaſdam vicinas.

CAP. XII.

HÆc Gal.eſt doctrina 3.*Fac.nat*. 13. *Quoniam*, inquit, *& lienem prius monſtravimus attrahere, quod*

quod in jecore crassius est, præterea conficere, atque ad utilius mutare: nihil ne heic quidem miri est, ex liene aliquid trahi in singula instrumenta, quæ cum illo per venas societatem habent, veluti in omentum, mesentericum, intestinum tenue, colon, & ventriculum ipsum.

Hanc si infirmare voles, forte *ex 5. us. part. 6.* ubi exemplariter de omento loquens, Ali illud sanguine, ex ramo splenico, sed antequam is ad splenem perveniat: dicam, vasa minora semper trahere ex majoribus, quibus appensa sunt, & hæc rursus ex majoribus, usque dum ad viscus vicinum sit perventum. Vasa igitur hæc cum trahant ex ramo splenico; ramus autem splenicus hepar non attingat, sed splenem: trahent potius ex splene, quam ex hepate.

Hinc ita infero, si lien ad alias partes amandat bonum sanguinem: utique & ipse fruitur bono sanguine, non excrementoso, aut, quod pejus est, excremento. Nec est, quod familiaritatem aliquis mihi occinat. Nego enim & pernego, ullam partem alendam habere familiaritatē cum malo sanguine.

Ex his licet judicare Averrois 2. *Coll.* 9. verba. *Et videtur*, inquit, *longinquum,*

quum, ut ſint duo hepata: quia non apparent venæ miſſæ ex eo (liene) *ad aliud membrum: Iam enim ex Gal. non unum, ſed quinque numeravi, ſufficiunt autem hæc ni fallor, ut dici poſſit hepar, ſi omnino urges hoc.*

De Lienis excremento in genere.

CAP. XIII.

SI recte conſtitutum eſt ab Ariſt. Illam quæ in hepate & liene fit, elaborationem, pro una eſſe habendam: videndum eſt, ne elaborationis ſeu coctionis illius plura, quam par eſt, faciamus excrementa.

In ſingulis coctionibus *duo* eſſe *excrementa, tenue & craſſum*, alibi probatur. Hujus autem coctionis excrementum tenue cum ſit de omnium conſenſu, bilis flava, in veſica fellea collecta: quærendum eſt amplius, Quod ſit craſſum? Hoc jam iterum de omnium conſenſu nuucupatur *Melancholia*, quæ in liene ſtabulatur.

Verum enimvero, quam notum eſt nomen ipſius : tam ignota eſt eſſentia ipſius, & generationis modus.

Ab *hoc* ut ordiar, volunt Galenici, exſiſtere in hepate, prorſus ut bilis, ex eodemque hepate trahi à liene, prorſus ut bilis trahitur à veſica. Verum id jam refutatum eſt ſatis evidenter. Generatur itaque Melancholia *in liene*, poſtquam is chylum ſuum elaboravit, ut par erat.

De *eſſentia* interrogati iidem, ὁμοθυμαδὸν affirmant, Eſſe *terram*. Hoc negant, qui Hipp. ſequi videri volunt, & multis hinc inde conquiſitis argumentis, etiam ex praxi contendunt, Eſſe *aquam*.

Ne prolixus ſim: utrique bene: utrique male. Male, quatenus ſinguli hoc unum & ſolum urgent : Bene, quatenus utrumque conjunctum expedit nos à difficultatibus, & viam monſtrat ad veritatem.

Quod enim in ſimilibus faciendum eſſe conſulunt ſummi viri, puta, ut ex gemina, & quaſi contraria ſententia fiat una : id heic etiam locum habet,

Evincit id problematum diverſitas, quibus aliter ſatisfacere non eſt, quam

hoc modo. Conſonat ei rei chylus, quem trahi à liene, dictum eſt. Quia enim terreſtris eſt, ſed multa aqua perfuſus, idque propterea, ut mobilis ſit: poſtquam quod inutile eſt, abiit, non poſſunt non ſupereſſe reliquiæ tam terræ, quam aquæ.

Et quia ut jam bis innui, utrumque eſt manifeſtius in iis, qui in latitudine ſanitatis dicuntur Melancholici; maniſeſtiſſimum in iis, qui laborant morbis Melancholicis: proponemus nobis heic Melancholicos, inque iis, quaſi in exemplo, oſtendemus id, quod in omnibus hominibus fit.

Quia etiam hoc excrementum tam eſt heterogenes, ut Natura, & qui Naturæ ſemitam it Medicus, alias vias habeat purgando terreo, alias aqueo: liceat nobis de lienis excremento loqui, ac ſi forent plura.

Nam, quoniam Medicis præcipue iſta parantur; in Medicina autem, ut in aliis etiam artibus, propter uſum ſæpe diſtinguuntur, quæ reapſe diſtincta non ſunt: ſumam mihi audaciam hanc & dicam, excrementum hoc eſſe *duum generum*, alterum *aqueum*, alterum *terreum*.

Agam

Agam autem primo loco de *aqueo*, propter Hipp. reverentiam, uſus eo ordine, quem hactenus mihi ipſi præſcripſi.

Lienem vacuare aquoſum quid per alvum.

CAP. XIV.

Videri poteſt ineptũ hoc, Quod Melancholici plerique omnes ſint ſicciſſimæ alvi, adeo, ut vix poſt tertium aut quartum diem onus hoc deponant: ſed enim cum non omnes in univerſum ſint tales, oportet, ut in iis, in quibus alvus ſatis eſt obediens, aliquid ſit, quod illam ſubluit. Confirmat id, quod ſicci illi aut plurimum mingant, aut plurimum ſudent. At qui conſenſus ſit inter alvum & veſicam, ſi non aliunde, ex 4. *Aph.* 83. diſci poteſt. Quod ſi inter hæc duo, etiam inter alvum & ſudores: Eadem enim urinæ & ſudoris materia eſt.

In horum numero fuit olim ſummus vir Antonius Muſa Braſſavolus, ut de

ſeipſo ſcribit *c.6. l. de purg.* Cum enim non excerneret ſpacio novem aut duodecim dierum; neque tamen vel minimam ſentiret ulla in re difficultatem: mingebat (ita loquitur) ſupra modum & ſudabat, ob hoc paucæ erant excretiones, & in hoc igitur quia ob diverſionem humoris alio ſicca erat alvus: clarum eſt, ſi ad alvum fluxiſſet, futuram fuiſſe ſatis humidam, ut in quibuſdam etiam eſt.

Quod igitur Gal. docet 1. *fac. nat. ult. Celebrata prima coctione,* τοῦ τῆς τροφῆς ὀχήματος *aliquid vacuari per alvum:* videtur accipiendum eſſe, non de illo tantum, quod Meſaraicæ relinquunt in inteſtinis, ſed de illo etiam, & forte præcipue, quod lien eo deponit. Cum enim is plurimum trahat aquæ: quid abſurdi, ſi dicatur ejus aliquid per alvum abire?

Nec novum id fuerit. Hipp. enim 2. *progn.* 14. loquens de dejectionibus madidis, explicatur à Gal. *ib.* Fieri tales, vel cum ventriculus non concoxit, vel cum ex hepate aut liene aliquid eo confluxit.

Idem Hipp. 1. *de morb.* Leucophlegmatia ex liene laborantem bene habere,

bere, si fortiter illi moveatur alvus, docet.

Idem 6. *Aph*.43.& 48.4. *Epid*.46. apud Vall. docet, Lienosos optime sanari, si superveniat illis dysenteria, nisi illa diutius duret, hydropemque faciat. Et vidi ego in praxi, Fieri non semper (neque etiam Hipp. id voluit) per dysenterias, sed aliquando per diarrhoeas, aut per dolores colicos, qui certis temporibus recurrentes, liberant homines à symptomatis Melancholicis.

Nec ignotum fuit Arist. modo locum 3. *part*.7. ita licet corrigere. Καὶ διὰ τὴν ἐν ταῦτα παλίῤῥοιαν τῆς ὑγρότητος, πολλοῖς καὶ κοιλίαι, γίνονται τοῖς σπληνιῶσιν, ὥσπερ σκληραὶ τοῖς λίαν οὐρητικοῖς διὰ τὸ ἀντιπεριΐστασθαι τὰς ὑγρότητας. Ut sit sensus. *Lienosis quibusdam alvus est humida, cum qui ex intestinis ad lienem ivit humor, ad intestina refluit: quibusdam est sicca, cum humor non tendit eo, ubi fuit, sed ad vias urinarias abstrahitur*. Nisi enim ita sit, 1. Quæ erit παλίῤῥοια, nisi πάλιν ῥέῃ humor? 2. Quæ erit oppositio, qualem totus contextus desiderat? Ita vero etiam desumtum videbitur ex illo 4. *Aph*.83. Mictio per

 noctem

noctem plurima dejectionem parvam significat. Licet enim id in omnibus fiat: Aristot. tamen accommodasse solis lienosis, absurdum non est.

In has cogitationes primum me abduxit Bonamicus, qui docet, *à liene alvum irrigari, quod si non fiat, fieri illam duram & immorigeram.* Et hoc satis illi esse poterat ad explicandum παλίῤῥοιαν. Quam dum extendit etiam ad alias coctiones, nimis solicitus est, & præter rationem, ne alia dicam incommoda, in quæ παλινῳδία illa incurrit.

Lienem vacuare aquas per urinas.

CAP. XV.

Cum Hipp. id observasset in aliquã multis, jussit deinde dare *diuretica.* Inter eos quorum historias scripsit, fuit Bion 2. *Epid. t.* 27. apud Valles. Hic enim cum laboraret inflammatione lienis, habebat hæmorrhagiam ex sinistris & copiosum urinæ pro-

profluvium. Fuerunt alii multi, quos 4.*Epid*.10.apud eundem Vall. ait fuisse αἱμοῤῥοοῦς (intelligo de hæmorrhagia, simili antedictæ) & habuisse purgationes criticas per urinas. Fuerunt & alii 2.*Epid*.3.*t*.14.item apud Valles. In quibus vidit, Lienis humores consedisse, atque ita metus recidivæ abstulisse, si urinæ fluxissent.

Ex his aliisque natura est illi præceptum, de quo dixi, quod conceptis verbis habet *l. de Int. aff. Lienosis danda esse diuretica.* Et *l. de Ext. aff.* laudat eadem biliosis qui magnum habent lienem, & male colorati sunt. Hinc 4. *de Morb. & 1. de Morb. mul.* hydropis causam esse ait, si lien non dimittat aquam ad vesicam.

Ab Hipp. didicit Gal. qui 1.*ad Glauc.* 11. in omni quartana (concedit autem ibi, quandam esse à liene) jubet uti *diureticis*. Et 2.*ad Glauc*.11. lienem purgat per urinas. Idem 7.*simpl. Capparin ait lienes vacuare per urinas.* Imo vero pleraque omnia splenica sunt diuretica, ut videre est in longissimo catalogo, quem texit Reusnerus *lib. cit.*

Ubi hoc aspergo, Gal. agnovisse, in excremento lienis esse aliquid aqueũ.

An autem hinc accipi poſſit explicatio ſententiæ Gal. quam quidã ſomniant: equidem valde dubito. Si enim Gal. viderat aquam Hipp. (cedo etiam, ubi meminit, & accommodat Melancholiæ ſuæ? Quod enim 4. *in* 6. *Epid.* 20. dicitur, alio pertinet) noveratque, Naturamque ideo hujus miſturam cum fæce craſſa molitam eſſe, docuerat, ut diluta ſegregari melius poſſet: cur non apertius dixit? Imo etiam, cur contrarium dixit alibi δυσκίνητον eſſe ob craſſitiem? Veruntamen, ut redeam ad propoſitum,

Tamen idem Gal. 13. *Meth.* 18. non agnoſcit viam ab hoc viſcere ad renes. Inde ſunt difficultates illæ inter Medicos, partim de conciliandis his locis, partim de viis, quæ ſint à liene ad veſicam. Vall. *in Epid.* contentus eſt occultis & cæcis viis ex illo Hipp. ξύῤῥοια μία, &c. Holl. & alii dicunt, A liene ire ad hepar, ibique ex vena portæ aſſumi in venam cavam, è qua ad renes veniatur. Ego, non valde ſolicitus, quomodo conciliandus Galenus Galeno ſit, viam apertam & compendioſam novi, quam primus mihi oſtendit Viſcerus in θ. laudatis, per arterias.

Cui

Cui prorſus hactenus aſſentior, *Lienem tam numeroſas arterias habere etiam ideo, ut ſentina illa humorum brevi & compendiaria via ad exitus urinarios pervenire poſſit.* Quamobrem hoc etiam addo, Renes fuiſſe duos, non propter ſolum hepar, ut vult Gal. 5. *uſ. part.* 6. ſed propter hepar & lienem. Ut dici jam debeat, Alterum quidem renem huic, alterum illi viſceri ſervire, adeoque hepar quidem per venas emulgentes, lienem autem per arterias purgari.

Quicquid ea de re ſit, Hæc cauſa eſt practicis ſolertioribus, (inter quos familiam ducit Mercurialis 2. *Conſ.* 49. 3. *Conſ.* 44. *& alibi*) ut, neglecta prohibitione illa, quæ ex Methodo accipitur, dent *diuretica* in quartanis, ſcorbutis, ſimilibuſque affectibus, feliciſſimo (cæteris paribus) cum ſucceſſu. Hanc in rem duo afferam exempla, alterum ἐκ τῆς ὑγιεινῆς, alterum ἐκ θεραπευτικῆς.

Cl. Vir. D.D. Wendelinus *Iung.* ſimplicium profeſſor in illuſtri Herbipolenſi D. & amicus meus honorandus, quo tempore Medicinam faciebat in Xenodochio *D. Mariæ novæ Florentiæ*, noverat religioſum toto habitu

Melancholicum, qui perpetuo mejebat triplo plus quam bibebat. An causa est (quid enim prohibet heic illam addere?) terrestris viscerum substantia, quæ calorem habet valde fortem, qualis in ferro ignito etiam est? Hic enim chylum colliquat potius, quam coquit, unde est aquæ illa copia. An siccitas potius est in causa? Hæc enim impedita ventriculi coctione, genitaque loco laudabilis chyli, pituita, præbet hepati materiam aqueam, ex qua vix aliud quam aquam fabricare potest.

Vallatius ad Holl. *l.* 1. *c.*40. Meminit etiam religiosi, cui ter aut quater in anno, maxime vere & autumno ineuntibus, intumescebat lien cum dolore ejus lateris, totiusque abdominis tumore incipiente, &c. Hic tandem nigris (ideo cum aqua vacuabatur terra, ut in aliis Melancholicis, qui aquam nigram vomebant, est visum) erumpentibus urinis, atramento similibus per quinque aut septem dies continunatibus, pristinam recipere solitus est incolumitatem. Hic (addit) antequam hoc fieri inciperet, *hæmorrhoidas* habebat, sed minus feliciter euntes.

Ex his judicare licet Vall. 2. *Epid.* 2.

in Bione fugam, non vacuari ex loco affecto, ſed ex toto corpore. Iudicare vero licet etiam ex illo, quod 5. *Epid. in Parmeniſco* ait, morbis Melancholicis accommodatiſſimæ vacuationes ſunt, dejectio & mictio. Intelligo autem paulo aliter quam ille, ſcilicet conjunctim propter excrementi partes diverſas.

Lienem vacuare aquas per ſudores.

CAP. XVI.

Si, quod alibi probatur, urinæ & ſudoris eadem eſt materia, adeoque ſæpe fit, ut, alterutra vacuatio impediat alteram: non eſt difficile intellectu, Lienem aliquando ſeſe exonerare per *ſudores*, ſed, cum Melancholici habitu ſint frigidiori & denſiori, fit illud rariuſcule. Fieri tamen, ut dixi, aliquando; & inde nanciſci Medicum occaſionem dandi Theriacam & alia ſudorifera: ex his apertum fiet,

In autumno docet Hipp. 2. *Epid.* 1. *t.* 3. febres fiunt magis ſudatoriæ. Hoc Vall. ad pluvias refert: Ego vero ad naturam humoris Melancholici, qui in autumno dominatur. Ejus rei fundamentum peto ex Coacis, ubi dicitur, *Qui mente moventur, cum timore & perfrictione, iis ſolvi morbum ſuperveniente febre cum ſudore, &c.* Motio autem illa queî ſit alia, quam Melancholica? His addo rationem. Cum autumnales febres ſint tales perpetuo; autumnus autem non ſit ſemper pluvioſus; ſi admittatur ratio Vall. Quædam febris erit ſudatoria, quæ tamen non habeat cauſam ſudoris.

Idem *ib. ſect.* 2. *tit.* 23. Lyciam Lienoſam melius habuiſſe ait ex ſudore. Hæc enim cum eſſet talis, habebat, ſi recte percipio hiſtoriam, paroxyſmos, forte ſtatis temporibus, qui ſanabantur aliquando purgatione, aliquando venæ ſectione, aliquando ſudoribus, aliquando ſponte. Tandem tamen, cum gravida eſſet, accedente lienis inflammatione, forte ab importuniore purgatione, ut conjectatur Vall. mortua eſt.

Idem *ib. ſect.* 3. *t.* 20. ſcribit, Hippoſtrati uxorem, poſt annuam quartanam,

nam, fuiſſe curatam partim ſudoribus partim muliebri fluxu. Nimirum per ſudores vacuabatur aqua, per menſes terra. An hæmorrhoides potius fuerunt? harum enim rami quibuſdam ad uterum pertingunt, ut mox dicetur.

Unde non difficile eſt judicatu, cur quæ in Bulagora villa decumbebat 4. *Epid.* febricitans liene, non fuerit judicata plene per ſudores: ſupererant enim excrementa craſſa.

Ex 6. *Epid.* 3. *t.* 7. obſcura illa hiſtoria, de muliere in Cranone, hoc ego lucis accipio, Quod 14. die critice fuerit liberata per ſudorem, quia lien illi erat natura magnus.

Hanc ob cauſam, puto, Gal. *de Ther. ad Piſ.* 15. in quartanariis (eadem autem eſt ratio reliquorum morborum Melancholicorum ut practici docent) utitur *Theriaca.* Quod ſi mihi negaveris & propter inſenſilem vacuationem id factum eſſe dixeris: ne ſic quidem pugnabo. Serum enim aliquando felicius abſumitur hoc, quam illo modo.

Quid multa? Autorem habeo graviſſimum, Vall. inquam, qui 3. *in* 2. *Epid.* 20. 3. *in* 3. *Epid. ægrot.* 3. 2. *in* 6. *Epid.* 32. docet, ab experientia ſumpto argu-

argumento, In Melancholicis crebros esse sudores. Quod ipsum Mercurialis quoque vidit, ut testatur, 3. *Cons.* 14. & 1. *pract.* 10. Duobus his Medicis si superaddere libet Philosophum, Bonamicum, 1. *Alim.* 32. licet.

Lienem vacuare aquas per ventriculum.

CAP. XVII.

De *Melancholia hypochondriaca*, quæ, authore Cæsalpino, sedem suam in ventriculo habet, agens Gal. ex Diocle 6. *Loc. aff.* 7. inter alia signa morbifica, salivam multam & humidam affert.

Idem *de Plath.* 11. atrabiliarios vocat salivatores. Quod Vall. etiam habet 2. *in* 6. *Epid.* 32.

Idem Gal. *de Typis* 4. salivationem habet in numero signorum febris quartanæ.

Hodie qui de Scorbuto scribunt, Maxi-

Maximum in eo affectu salivæ proventum esse tradunt. *Scorbutum* autem esse morbum Melancholicum, concedunt pariter omnes.

Jam, saliva cum sit vel ex capite, vel ex ventriculo, 1. *Pror.* 12. 2. *de Temp.* 4. dubium mihi non est, salivam Melancholicorum esse ex ventriculo, & quidem à liene eo ablegatum.

Si enim, quod alibi probabo, saliva in naturaliter constitutis, habet principium suum ex tenui primæ concoctionis, quæ in ventriculo fit, excremento, quod pituita dicitur; Verisimile autem est, gigni in tanto majore copia, quanto frigidior est ventriculus: gignetur procul dubio in Melancholicis copiosior. Frigidi enim sunt tales, ob copiam humoris frigidi, ut ex Arist. liquet *de somno cap.* 3.

Hoc tamen nondum satis est. Si enim ventriculi frigiditas est causa adæquata salivationis: erit illa in omnibus, in quibus ventriculus frigidus est. Sed hoc non est ita: In solis enim Melancholicis, qui ipsi habent ventriculum frigidum, salivatio illa est.

Huic difficultati satisfacere non possunt qui defendunt, pulcellam illam hypo-

hypotheſiu, de qua ſupra, *Melancholiam ſtabulari in venis:* Ego autem poſſum, qui *Lienem* illi aſſigno. Eidem non ſunt pares iidem, cum *Melancholiam* dicunt *nihil habere aquæ, ſed totum id eſſe terreum:* Ego autem par ſum, qui *aquæ multum* habere affirmo. In eadem muſſant iidem cum aquam à liene trahi contendunt, aquam tamen illam ſalivę cauſam eſſe, non audent dicere.

Ita ergo ego, Melancholici quidam ſunt ſalivatores, quia ſerum ex Liene effunditur illis in ventriculum. Serum autem ex aqua illa eſt, quæ præbebat luto vehiculum ad Lienem.

Sed qua via ad ventriculum pervenit? Procul omni dubio, non tantum per vas breve dictum, ſed & per alia vicina vaſa. Præcipue tamen per vas breve, quod forte in his, ex corpore lienis eſt.

Interim & in his, ſed alio tempore, & in aliis omnibus ſervire vas breve etiam aliis actionibus, jam dixi in ſuperioribus.

Confirmat hoc magnum Hipp. argumentum, curatio. Spuitione multa & conferta vidi Melancholia morbo laborantes magnopere ſublevatos, inquit Vall. 5. *in 6. Epid.* 4.

Hoc autem exemplariter dictum esse, & competere aliis morbis Melancholicis æque, apud me certum est. Ratio enim à Vall. allata, quæque sententiæ meæ mirifice quadrat, valet in omnibus Melancholicis, *Quia*, inquit, *sanguis Melancholicus est serosus.* Quo ipso fundamento quia nititur etiam Mercurialis, non mirum etiam est, quod 3.*Cons*.44. Melancholicis tribuat copiosa sputa. Si dubitas de proprietate vocis, audi Vall. iterum 5. *in* 2. *Epid*.5. ubi sputa hæc de saliva exponit, quę tamen non est semper acida, ut ipse putat, sed aliquando, quemadmodum ipsa etiam Melancholia.

Confirmant id illi, qui Gal. ajunt 1. *ad Glauc*.11. & Aetium *Tetrab*. 1. *l*. 1. *c*.9. in quartana præcepisse vomitum, quod crudior & liquidior humoris melancholici pars ad ventriculum eat. Et hi sunt nisi fallor, vomitus humidi, de quibus Vall. *l*.1.

Confirmant etiam, qui balbos *Epid*. *l*. iterum *c*.1. & *sect*. *seq*. *t*.3. fieri dicunt Melancholicos, ob aquam translatam ad ventriculum, & inde propter communem tunicam ad os & linguam, 6. *Aph*. 32. Et hinc explicare oportet Tral-

Trallianum, *l.* 1. *c.* 16. ubi paralyſin fieri ait etiam à Melancholia. Cum enim videret, quod vidit etiam Vall. *Melancholicos multarum partium paralyſi laborare:* non potuit aliter dicere. Sed erravit in eo, quod fieri putavit à craſſa Melancholiæ parte, cum fiat à tenui.

Et hæc eſt pituita illa, quam alii in Melancholicis ſibi imaginantur. Licet enim à veritate alienum non ſit, Melancholicos, ob habitus & ventriculi frigiditatem cumulare pituitam: fit id tamen in illis tantum, qui longe proceſſerunt. Interim *balbuties* etiam fieri poteſt in iis, qui nondum pituitam generant, à tenui videlicet Melancholiæ parte. Eadem ratio eſt *paralyſeos.* Sed & in iis, qui pituitam generant, poteſt eſſe à Melancholia.

Confirmo id ipſum *exemplo.* Amicum habui ex intimis, ejuſdem mecum profeſſionis & artis, qui toto habitū omnibuſq; ſignis vere Melancholicus erat. Is, præſertim cum loqueretur, tam abundabat ſaliva, ut creberrime cogeretur interrumpere ſermonem, & exſpuere. Quod niſi faceret (fatebatur ille) adeo illi lædebatur concoctio ventriculi, ut, niſi vellet ægrotare, pudoris rationem habere non poſſet.

Lienem vacuare, quod terreum est, per anum.

Cap. XVIII.

De *hoc* in isthoc vestibulo moneo, vocaturum me semper *Melancholiam*,

Hanc vacuari per viam, quam inscriptio præfert, probant *duo* inprimis argumenta.

Horum *alterum* petitur *à nigredine fæcum* tantum non quotidiana in mediocriter Melancholicis. De his enim intelligo, quod *Arist. 3. Hist. 3.* τὰ τῆς κοιλίας περὶοσ δ' μάλιστα φαίνεται χρωματίζειν ἡ ἰλὺς τοῦ μέλανος οἴνου. Nam in reliquis omnibus tam pauca est Melancholia. ut non tingat, quod probaverit aliquis ex 2. *ad Glauc.* 10.

Esse autem excrementorum nigredinem à Melancholia, docet Gal. 1. *Hum.* 1. quemadmodum flavedinem à bile, 4. *us. part.* 4.

Alterum sumitur *à gravitate humoris,*

ris, quæ cogit illum deorſum. Hinc, ut ſupra quoque dictum eſt, 4. *uſ. part*. 4. *&* 7. 5. *uſ. part*. 6. Lien dicitur *declivis*, propter excrementum Melancholicum pondere ſuo eo nutans. Et excrementum ipſum non locis tantum citatis, ſed & 2. *Elem*. 4. vocatur graviſſimum, craſſum & moveri contumax.

Propter hanc potiſſimum cauſam Medici, quoties de purgando hoc humore agitur, ſemper jubent illum purgare per inferiora. Qua de re 4. *Aph*. 9. 8. *in* 6. *Epid*. 27. & alibi ſæpe. Recte ſane, inquit Vall. 7. *Epid. in Anaxenore*, quandoquidem Lien nulli vacuationi magis cedit, quam alvi ſubductioni. Nimirum, hoc eſt magnum Hipp. argumentum, ut Maſſaria vocare ſolet, curatio. Et tum, niſi fallor, Lien eſt vere *κατάῤῥοπος*. Dubitat enim de ratione nominis Gal. 2. in 6. *Epid*. 39. *&* 41. 2. *Humo*. 27. Vide Foëſium in Oeconomia.

His duobus argumentis accedit *tertium*, Quædam nigri humoris per hæmorrhoidas dicta vacuatio, à præſentibus quidem morbis Melancholicis liberat, à futuris autem præſervat, ut docetur 3. *Aph*. 30. 6. *Aph*. 11. 12. 3. *in*

6. *Epid*.

6. Epid. 37. 5. in 6. Epid. 25. 6. in 6. Epid. 8. 3. Hum. 26. 3. prorrh. 39. Atra bil. 4. & 72. Loc. aff. 5. 5. Loc. aff. ultimo. 4. San. tu. 4. 9. Simplic. c. de differentia terrarum, cur. per. v. 5. 10. v. 5. adversus Eras. 6.

Ita autem loquor, *quadam*, propter duas causas, quarum.

Prima est: Cum docuerit recentior Anatomia; *Hæmorrhoidas esse duplices.* Externas & Internas, quarum hæ originem habent à vena cava, illæ à vena portæ; non esse mihi sermonem de omni per hæmorrhoidas vacuatione, sed de illa tantum, quæ est à vena portæ, cui scilicet adhæret Lien noster.

Quare nemo obiicere mihi potest, per hæmorrhoidas vacuari non tantum Melancholiam, sed omnis generis sanguinem, adeoque per fluxionem illam curari (eadem est ratio præservationis) morbos, non tantum Melancholicos, sed alios multos, valde diversos. Dico enim, si contingat fluere has, quas vocant *Internas*, tum depleri lienem, curarique morbos, à liene dependentes.

Secunda, Cum Gal. multis locis diligenter distinguat Melancholiam ab Atra bile, & dicat inter alia, Atræ bilis speciem

ſpeciem quandam eſſe ex Melancholia: non eſſe mihi ſermonem de omni humore nigro, ſed de atra bile illa tantum, quæ fit ex Melancholia: Qui enim morbi inde ſunt, ſanantur per hanc viam. Nimirum, Melancholia non facit morbos, niſi deſinat in Atram bilem. Videatur Salius *de aff. part. cap.* 15.

Hæc igitur Melancholia cum per anum vacuatur, quibus utitur viis? Ego mihi perſuadeo, Naturam non ſemper deponere per hæmorrhoidas dictas, quod non ſemper ſint ex cauda lienis. & vero, quod non ſit æqualis ejus rei neceſſitas in omnibus hominibus.

In quibus igitur ſumma fuit neceſſitas vacuandi hujus humoris: in iis ἐκ τῆς τελευτῆς τοῦ σπληνὸς, ut Gal. loquitur *de Anat. Ven.* 1. eduxit Natura vas ad ſiniſtri omenti partem. Hoc enim in anum deſinere, ibidemque Hæmorrhoidas internas conſtituere, obſervarunt Recentiores. Veriſimile autem eſt, Naturam in valde Melancholicis hoc tantum feciſſe, quod nunquam illa vel deficiat in neceſſariis, vel abundet in ſuperfluis. Hinc Veſalius & alii non viderunt hoc, quod jam dico: viderunt autem, & pinxerunt id tantum, quod ipſis occurrit.

In quibus tanta neceſſitas non fuit, idipſum vas non ex fine corporis lienis eduxit: ſed ex rami ſplenici parte inferiore (Epiploida ſiniſtram vocavit Sylvius) quo regredi excrementum hoc, ſiquidem deorſum vacuari debet, veriſimile eſt. Hanc inſeri in colon, indicio eſt, quod, ut ſcribit Veſal. adeſt tum tantum, cum, quæ ſequitur, inque colon indubitato it, Epiplois poſtica dicta Sylvio, minor eſt, quam ut poſſit omnibus demandatis ſibi partibus ramos mittere. Cum enim illa major eſt, & ſufficit, abeſt hæc.

In quibus iterum minor neceſſitas fuit, Natura fecit, quod jam dixi: Omiſit, inquam, Epiploida ſiniſtram, & illius officium demandavit Epiploidi poſticæ, eodem loco, ſed paullo magis dextrorſum ortæ, indeque ad colon, ad quod hiat, latæ. Idem dicere licet de Epiploide dextra.

Tandem, in quibus minima neceſſitas, forte ubi & deeſt Epiplois ſiniſtra, & ad colon non pertinent Epiploides dextra & poſtica: regreditur excrementum ad ramum Meſentericum, ex quo ad anum tendere, hæmorrhoidaſque internas facere, ſcribit Veſal. & qui illum ſequuntur.

An per has ultimas Hæmorrhoidas vacuatur aliquando etiam hepar? Tum vero idem ſtatuetur diſcrimen, quod ſtatui ſolet inter duplices Hæmorrhoidas. Quemadmodum enim *Interna* dicuntur vacuare cacochymiam, quæ in vena portæ plurima eſt; *externa* plethoram, quæ in vena cava: ita forte per Hæmorrhoidas has Meſentericas, ut ſic dicam, deplebitur lien tum, cum ille oneratus eſt illuvie Melancholica multa; hepar, cum illud opprimitur à quantitate ſanguinis boni. Interim, non obſtat quidquam, etiam hepatis cacochymiam hac expurgari.

Ab iiſdem his Meſentericis Hæmorrhoidibus feruntur in mulieribus ramuli quidam ad uteri cervicem. Ut veriſimile ſit, quæ menſes habere dicuntur, cum ſunt gravidæ, hæmorrhoidas potius habere dicendæ ſunt. Quod enim viderunt illi ſanguis eſt tenuis, qualis fere lienoſus eſt. Schol. Holl. in *l.* 1.*c.*155. Bauh. 1. *Anat.*15. *extremo.*

Et hæc ita mihi videntur, cum Naturæ librum intueor, conferoque cum ejus Interpretibus. Quorum nullum cum mendacii arguere audeam; & vero nullus dicat etiam abſona vero: placuit mihi

mihi ita componere. Indicent autem illi, quorum nihil intereſt aliud judicare, ut cum Gal. loquar ex Thucid. *lib. 3. belli Pelop.*

Jam vero etiam hoc repeto, Non abſurdum eſſe, per hæc vaſa nutriri etiam colon, omni ſcilicet illo tempore, quo non fluit Melancholia. Fluit enim non niſi tum, cum in ea copia eſt, quæ ſit Naturæ moleſta.

Quæ cauſa eſt, Cur in inteſtina aperiantur, nõ oſculo aliquo inſigni, quali in duodenum meatus choledochus: ſed eodem prorſus modo, quo vaſa Meſaraica omnia in tunicas inteſtinorum abſumuntur.

Quæ igitur differentiæ ratio eſt, in utriuſque hujus excrementi vacuatione? dicis.

Hæc eſt. Melancholia non poterat uſum talem aliquem habere, qualem bilis: quia & pauca eſt (quippe non collecta in unum conceptaculum) & ἄποιος. Non igitur opus habebat aut peculiari aliquo vaſe, aut peculiari ejuſdem conformatione, ut de bile factum eſt.

Interim, negare non poſſum, in iis, in quibus in magna copia eſt, & in qui-

bus etiam facile è natura sua abit, assumitque acredinem, præstare aliquando inferioribus intestinis tale quid, quale superioribus bilis. Talium enim alvi quia pigriores sunt, quia ob frigiditatem humoris insensibiliores: opus habent monitore etiam alio, quo reliquorum non indigent.

Lienem non vacuare Melancholiam per ventriculum.

CAP. XIX.

Vacuari Melancholiam per anũ, citra controversiam est: hoc autem valde controversum est, *An*, quod ego dico, *recta deorsum feratur ad anum?* & non potius, quod Gal. dicit, sursum primum ad ventriculum. deinde ex ventriculo ad intestina tenuia, deinde ex intestinis tenuibus ad crassa, & denique per anum exeat? Et hoc modo explicant quidam παλίρροιαν Aristotelicam, de qua supra.

Ponit autem Gal. sententiam suam tan-

tantum, ſine ulla confirmatione, *3. Fac. nat.* 13. 1. *ſan. tu* 12. *&* 13. 9. *κ. τόπ.* 2. 4. *uſ. part.* 15. 5. *uſ. part.* 4. quo loci etiam uſum ſuum appendit, de quo mox. Ubi hoc moneo propter Bonamicum. *Lib. de Atra bile* non facit Gal. ejus rei mentionem: quia accipit vocabulum proprie ut opponitur Melancholiæ. Quare cum *cap.* 3. diſtinguit dejectiones nigras à dejectionibus atræ bilis: diſtinguit atram bilem à Melancholia. Ibidem *ult. verbis*, expreſſe ait, de Melancholia qualis ſit, & per quas partes vacuetur, alibi ſe perſcrutaturum.

Ego vero confirmo pariter ſententiam meam, & dico, Quid obſtet ſententiæ Galenicæ.

Utrumque egregie præſtat Gravitas humoris, de qua dixi. Quo loco ſi pro Gal. inſtantiam attuleris, ſanguinem, qui & ipſe ſurſum it, licet gravis ſit: dicam, Diſparem eſſe rationem. Sanguis enim cum ſit familiaris partibus alendis, trahitur ſurſum. At excrementa cum ſint contraria partibus alendis, pelluntur. Jam igitur hoc fit à facultate *expultrice*: illud à *tractrice*. At vero, quemadmodum tractricem, nec juvat, nec impedit loci differentia: ita expul-

tricem excrementorum eorum, quæ vel natura vel copia ſunt gravia, ideoque ἀθρόως abeunt, ſemper comitatur loci commoditas. Atque hoc inductione probari poſſet. Quæ cauſa forte fuit Avicennæ, Cur iter gravis humoris ſurſum providentiæ divinæ adſcripſerit? Hanc ut in omnibus demiror & exoſculor: ita in illis, in quibus eſſe dicitur, cum non ſit, nolo eſſe veli cujuſdam turpis, qualia ſæpe, alia comminiſcuntur, qui convicti cum ſint, convictos tamen ſe eſſe, nuſpiam fatentur. *Quod non ita eſt, ut dicitur*, inquit Caſſianus, *etiamſi honos videatur, injuria eſt.*

Privatim, Galeno obſtant incommoda quædam. Si enim ita ſit, ut dicit ipſe. Non injuria incuſarit aliquis Naturam, & imprudentiam objecerit, quę excrementum mitteret ad partem tam nobilem, Ultimum dico, excrementúm ad primum alimenti conceptaculum, ut inde ad anum eat, cum & brevior ſit via & expeditior per vaſa, ad inteſtina craſſa hiantia, de quibus modo.

Dicis, *At idem ſit de bile, quæ in duodenum effunditur eo loci, quo chylus pene integer adhuc eſt?*

Reſp.

Reſp.1. Non eſt par dignitas ventriculi & inteſtinorum. Ventriculus enim τῆς πέψεως organum eſt: inteſtina τῆς ἀναδόσεως. Præterea, in ventriculo omnia ſunt etiamnum confuſa, bona cum malis: in inteſtinis jam incipiunt bona diſtingui à malis. Ut propterea minus periculi ſit, etiamſi malis, jam ſeorſim poſitis, miſceatur aliquid bilis.

2. Non eſt par ratio uſus. Uſum enim præbet bilis evidentiſſimum duplicem, quorum alter eſt, ſtimulare inteſtina ad celeriorem ἀνάδοσιν, alter, admonere officii ſui ad deponenda alvi excrementa: at uſus effuſæ in ventriculum Melancholiæ tam eſt nullus, ut metuendum ſit etiam damnum ingens, Miſtio, inquam, excrementi cum alimento.

Dicis iterum, *Quod damnum metuitur in Melancholia: id metuendum eſt etiam in bile.* Utrobique enim eſt chylus, & utrobique poteſt miſceri excrementum cum alimento, deinde ſeparandum non ſine Naturæ infamia.

Reſp. Non eſt par ratio. Si enim Melancholia, quod dicitis vos, eſt amica ventriculo, retinebitur, & prorſus miſcebitur: at bilis, quia eſt inimica inte-

ſtinis, non retinetur, quin omnia ſecum expellit. Adde, Melancholia etiam ideo miſcetur, quia in ventriculo fit ebullitio, quæ mutat ima ſummis: in inteſtinis non fit; Videmus id in farcimibus, recens natis. Nam quamvis lanii imponant primum & ſeorſim pinguedinem ſolam, deinde ſeorſim ſuperdent ſanguinem efibratum, aut etiam minutalia carnium: tamen poſt ebullitionẽ apparet utrumq; bene ſibi permiſtum.

Nec excuſat, quod Melancholia quidem. 5. *uſ. part.* 4. ait Gal. ob craſſitiem difficulter miſceatur: bilis contra ob tenuitatem, facile. Nam, an craſſities Melancholiæ obſtare poſſit miſtioni illius cum chylo, judicabit ille, qui novit, Humorem tamen eſſe, & omnino fluxile quid, ut ferri poſſit per ductum tam anguſtũ, qualis eſt vas breve.

Non excuſat etiam, quod ib. ait idem, Melancholiam non potuiſſe recta ire ad anum, quod in illa paucitate, viæque longinquitate, opus fuiſſet vaſe longo & anguſto, ideoque injuriis obnoxio: ſed debuiſſe uti his ambagibus. Si enim humor atrabiliarius ille, qui in hepate gignitur, recta poteſt ire per hæmorrhoidas externas ad anum, & abſ-

& abſq; illarum periculo vacuari, quod conſtat ex locis ſupra citatis, cur in liene non poſſit fieri idem? maxime, quia lien longe declivior eſt hepate? Adde, non eſt opus, ut ſemper ad anum eat, cum ad vicinum colon deponi poſſit, ceu oſtendi.

Et hæc quidem ſunt incommoda, quæ Gal. manent: Illa ſi cui videbuntur non prorſus eſſe amota, ille cogitet, Conſiſtere hactenus rem in comparatione Melancholiæ cum bile. At vero, cum comparatio ſit iniqua, quæ inſtituitur inter id, de quo conſtat, & inter id, de quo non conſtat: ſi probavero, *Melancholiam non ire ad ventriculum*, deſinent etiam ſtimuli illi, quos bilis in animo Lectoris reliquit.

Hoc ut fieri poſſit, agite, ô viri amici, veniamus ad tribunal veritatis, & audiamus judicem incorruptum, naturam ipſam.

Hæc enim dicit, vas breve, per quod omnes dicunt fieri effuſionem hanc, non ſemper, ut Gal. vult 5. *uſ. part.* 4. *de Anat. ven.* 1. ἐκ τῆς κεφαλῆς lienis ire ad ventriculum, poſtquam ſcilicet omnibus lienis partibus ἀποφύσεις ſunt tributæ, ut loquitur 6. *Ex. Anat.* 10. ſed a-

 liquan-

liquando quidem, aliquando autem ex parte ſuperiore rami ſplenici, antequã is lienem ingreditur. Quando igitur è liene non eſt, quomodo ferre poteſt excrementum lienis?

Dicis, *ſed tu antea docuiſti, excrementum hoc deorſum purgari per alia etiam vaſa, quam quæ ex cauda lienis ſunt?* Ita: ſed ſimul docui diſparitatem, cum dixi, tam de gravitate humoris, quam de expultricis commoditate.

Verum, habeat ſane hoc argumentum parum ponderis: plus, ſpero, habebunt hæc.

I. Vas breve non pertunditur in ventriculum, ut in duodenum pertunditur ductus ille, qui à veſica bilis eo it. Videtur autem neceſſarium fuiſſe, ſiquidem analogiam habent inter ſe, 1. *San. tu.*13 & vas breve debebat alium à reliquis, è ramo ſplenico ad ventriculum tendentibus vaſis, uſum habere. Eo magis autem videtur id fieri debuiſſe, quod craſſior eſt hic ſuccus bile. Quinimo, videtur dici debere. Vas hoc tanto majori oſculo aperiri debuiſſe in ventriculum, quanto craſſior eſt ſuccus hic bile. Quia igitur vaſis brevis eadem eſt inſertio: eadem etiam fuerit ratio, idemque uſus. Di-

Dicis, *sed tu antea docuisti, vasa hæmorrhoidalia, juxta cum aliis, quæ Melancholiam deponunt ad crassa intestina, non aperiri in intestina evidenti osculo?* Ita: sed simul docui disparitatem, cui hoc addo, si Melancholia in ventriculum destillat tam exiguis guttulis, non posse præstare usum illum, qui jactatur, eo magis, quia pauca semper est,

II. In vase brevi non visus est contineri alius sanguis, quam in vasis vicinis. Idem autem sanguis cur non faciat idem?

Dico autem hoc de sanis. Nam in quartanariis, aliisque spleneticis, qui habent vomitus nigros, itemque in aliis: proculdubio alius à sanguine succus est. Sed & is in aliis vicinis est, nō in hoc solo. Et hic ipse status est alius, quã de quo nobis est sermo, ut supra monui.

III. Non minus huic, quam aliis venis addita est socia arteria. Igitur, si vena fert Melancholiam, feret etiam arteria. Id vero nemo istorum dixit. Sed neque dicere possunt, quod de ipsorum sententia, arteriæ splenicæ non vehant simile quid venis splenicis.

Dic ergo mihi, ô tu, quid facit heic vas breve arteriale? Procul dubio fate-

beris, otioſum eſt. Apud me vero negotium habet. Nimirum, utrumque vas breve (in inculpata ſanitate) vehit alimentum ventriculo.

Quandoquidem igitur Melancholia ad ventriculum non aſcendit, ſecuri eſſe poſſumus omnium incommodorum illorum, forte etiam aliorum plurium, de quibus dictum eſt, jamque deſerere ambages illas, quas Melancholia, è corpore eliminanda, emetiri dicitur, & recta via educere illam.

Hanc viam quia Natura oſtendit; illas ambages quia non monſtravit ullo φαινομένῳ: miror, queî potuerint venire hominibus in mentem? Poſtquam autem venere, quæ fuit ipſarum tanta amœnitas, ut mirentur ab iis etiam, qui in demonſtrationibus verſatos ſe eſſe, libenter gloriantur? Fortean concinnatulus ille uſus?

Melancholiam non præſtare ventriculo id, quod Gal. putavit.

CAP. XX.

Meminit is ejus rei uno tantum loco 15. *uſ. part.*4. his verbis: στρυφνή ἐστιν ἡ μέλαινα, καὶ ὀξεῖα καὶ συνάγειν καὶ σφίγγειν πεφυκυῖα. Et *ib.* Ἐπιτείνει τὴν γαστέρα, καὶ συνάγει πρὸς ἑαυτὴν, καὶ περιλαμβάνειν ἀκριβῶς ἀναγκάζει τὰ σιτία, καὶ κατέχειν, μέχρις ἂν ἱκανῶς ἐκπεφθῇ.

Heic quis credat, juſtiſſimam, ut ſæpe prædicatur à Gal. ex Hipp. Naturam, tam fuiſſe injuſtam, ut ſoli ventriculo deeſſet in prima generatione? Cum enim omnes aliæ partes ex ſe habeant facultatem retentricem: ſolus ventriculus non habeat? cogaturque petere aliunde? & ab excremento? in officio, non privato, ſed publico? eoque ad conſervationem totius tantopere neceſſario?

Est quidem ita, Intestinorum vis expultrix (de ἀναδόσει jam non ago) juvatur ab excremento , bile, inquam, quatenus abstergit pituitam, quæ ibi stagnat, vimque expultricem obtundit: at vero heic omnes, quos ego vidi excepto solo Th. à Veiga (qui ipse videtur irridere hoc dogma) non adjumenmentum actionis, sed totam actionem excremento tribuunt.

Præterea, cum pituita generatur ex necessitate materiæ ; & vero deinde, quia copiosior est , negotium facessat intestinis adhærendo , secumque alvi excrementa detinendo : debuit Natura ei malo remedium quærere. Heic non opus est ullo remedio , quod nihil ita impediat vim ventriculi retentricem, ut intestinorum expultricem impedit pituita.

Præterea , cum æqualis in omnibus hominibus sit necessitas hujus retentionis & constrictionis ; non gignatur autem in omnibus æque magna quantitas, immo vero in quibusdam plus quam par erat , in quibusdam minus, quam opus erat: queî potest reddi ratio, Cur in omnibus hominibus, naturaliter se habentibus, eodem modo fiat reten-

retentio & constrictio? Omnes enim hi, cæteris paribus, bene coquunt: neque tamen in omnibus eadem ejusdem causæ vis & efficacia.

Præterea, cum hoc, quod dicitur fieri, fieri debeat in ventriculo, omnibusque ejus partibus: queî verisimile est, humorem, & eum quidem paucum, per tenuia vasis brevis oscula, roris modo, leviter aspersum minimæ ventriculi parti, posse in unum cogere totum ventriculum? & quidem tamdiu in vinculis tenere, quamdiu durat coctionis labor? Nisi enim id sit, coctio non potest esse felix.

Nec juvat, quod in quibusdam satis magnum est vas breve: nõ juvat etiam quod in quibusdã bifurcatum est. Manet enim hoc, Minima ventriculi portio contingitur ab humore illo, quem continere dicitur.

Si dixeris, *Non necesse esse, ut contingantur omnes partes: sed satis esse, si una tantum particula contingatur.* Nimirum ita fieri, ut illa, quæ primum mota fuit moveat, eat, cieat deinde aliam, hæc rursus aliam, & sic deinceps. Dicam enim, Necessario humorem talem esse acerbissimum & acidissimum. At hæc

à Me-

à Melancholia naturali tantum abesse probabo, ut ne quidem acerba aut acida sit, nisi cum jam sit Atra bilis.

Hoc docet rerum natura: illud Gal. autoritas.

Ut enim de homine temperato, qui norma est harum rerum, dicam, undenam in illo habeat Melancholia duas illas qualitates, cum fiat, calore naturali agente in alimentum, & separante tantum partes cinerulentas? Qui calor si aliquem ei qualitatem imprimit, cur non potius dulcedinem? Hoc enim augurari videtur Th. à Veiga. Et nescio an non fluctuare fecerit Avic. qui saporem ei tribuit inter dulcedinem & ponticitatem.

Sed unde etiam in calidis & siccis (in his autem copiosissimam esse, non tantum Atram bilem, sed & Melancholiam, alibi probatur) sit utraque qualitas hæc, cum pariter fiat, agente calore illo terrestri in alimentũ suum? Qui calor, si communicat excremento huic qualitates has, cur non in omnibus communicat? Certe Gal. ipse locis mox citandis scribit, & animadverterunt Recentiores, inter quos numero Trinçav. vomi aliquando in habitibus

tibus & constitutionibus Melancholiam prorsus ἄποιον. Hinc argumentor, si in his non semper est acida: multo minus in illis, aliisque omnibus semper erit? Quæ cum consideraret, ut puto, maximus Galenista, Montanus Veronensis, in tractatu singulari de hoc humore, concessit quidem Melancholiam naturalem esse acerbam, negavit autem acidam esse. *Aciditas enim*, inquit, *fit ab ebullitione, quæ in hoc humore naturali locum non habet; habet autem in Atra bile, quæ est præter naturam. Acerbitatem autem habet*, inquit, *ob substantiam terream, quæ prædominatur in misto, sine adustione.*

Ego vero ex eadem hac hypothesi evincam. Melancholiam naturalem ne acerbam quidem esse. Si enim acerbitas fit sine adustione; Melancholia autem habet adustionem seu ἐμπύρευμα, ut Gal. vocat, cineris instar, quod ex nobili illo loco 3. *caus. sympt.* 2. probare licet: utique Melancholia non erit acerba.

Erit autem *amara* potius & *acris*, quemadmodũ etiam cinis est, & quod inde fit lixivium. Hoc ita esse concedes, si locum apud te inveniunt, quæ

de ge-

de generatione amari & acris ſaporis docet Gal.4. *ſimpl.9.18.19. & 20.*

Dicis, *ſed unde fit illud* ἐμπύρευμα, *cum qualitatibus tam intenſis*? A mora, quam facit, ob δυσκινησίαν forte. Et hæc mihi videntur idonea quæ perſuadeant, Melancholiam naturalem nec acerbitatis nec aciditatis eſſe participem, vel ideo quia illi nihil prorſus afferunt, pro confirmanda ſua ſententia. Quæ autem ſequuntur, neceſſario evertunt adverſariorum opinionem, dum docent, utramque qualitatem Atræ bili eſſe propriam, quam illi ſtudioſe, credo, cum Melancholia confundunt.

Hæc enim cum ſit, autore Hipp. 3. *Acut.*33. ἀνάλογος (ita enim lego cum Viſcero) τοῦ ὄξους: acetum autem fiat, calore extraneo agente in partes vini aëreas, eaſdemque evaporante, & relinquente frigidas, terreaſque: cui non ſit veriſimile, idem fieri in Melancholia? Eſt enim illa, non minus ac ſanguis Melancholicus ſimilis lacti vitioſo, quod, ut jam ſemel atque iterum dictum eſt, conſtat fere tantum parte ſeroſa & caſeoſa, nulla vel certe exigua butyroſa, quam etiam ob cauſam facilime aceſcit, victis & expulſis parti-

bus

bus aëris paucis à multo calido externo. Hæc doctrina eſt Gal.3. *Loc.aff.7.* Diſtinguens enim ibi Melancholiam ab Atra bile, ait, *Hanc acidam videri & vomentibus & olfacientibus: Illam nullo pacto participem eſſe acidæ qualitatis.* Ita enim cum Copo explico τὸ ἥκιστα, quod contextus id videatur velle quamvis aliis ſequius videatur. Et poſſe aliquando per τὸ οὐδαμῶς explicari, diſcimus ex 3. *Acut.* 61.

Eſſe vero explicationem hanc genuinam, patet præterea ex 4. *Aph.* 21. Agens enim ibi Gal. cum Hipp. de dejectionibus nigris, negat illas habere acre corrodens & acidum: ſed eſſe veluti ſanguinis limum, proportione reſpondentem fæci craſſorum vinorum. Quo quid clarius dici poteſt, Melancholiam, quæ reſpondet fæci dictæ, non eſſe acidam? fieri vero acidam, cum degenerat in atram bilem, ceu clariſſime docent ſequentia? Quæ videat, qui volet.

Fortaſſis autem nolit præfractior aliquis. Quare in hoc veſtigio videbit ejuſdē Gal. verba ex 6. *Loc. aff.* 1. Tranſiens enim ibi ab hepatis affectibus ad lienis, docet, ſi facultas ipſius tractrix læda-

lædatur, tum alia fieri, tum dejectiones atri humoris, non per inferiora tantum, ſed & per ſuperiora cum nauſeis. Quæ dejectiones ſi non fiant, ἀθυμίας, inquit, τε καὶ δυσθυμίας μελαγχολικὰς ἐργάζεται, καὶ σιτίων ἐνίοτε μετὰ ἀνορεξίας σφοδροτάτας, καὶ μάλισθ' ὅταν ἀκριβῶς ὀξῶδες ᾖ τὸ φερόμενον εἰς τὴν γαστέρα περίττωμα. πολλάκις δὲ ἀνατρεπήν τε καὶ ὑπτιασμὸν ὅταν ἑτέραν τινὰ ἔχει διαφθοράν. Heic cupio audire, quo pertineat τὸ ἑτέραν? Meo judicio hoc docet, Mutationem εἰς ὀξότητα eſſe etiam διαφθορὰν quandam. Quod ſi eſt, habeo, quod volo.

Jam hinc intelligitur, Cur de *Atrab.* 2. dicat, *Humorem Melancholicum aliquando quidem inferre ſenſum aciditatis & auſteritatis, aliquando omnis ſenſibilis qualitatis expertem eſſe?* Cur item *cap.* 4. de peſtilentia quadam dicat, *Nigra in quibuſdam prorſus acceſſiſſe ad atram bilem, in quibuſdam ne mordicationem quidem intuliſſe.* Nimirum, cum Melancholia ſecundum naturam ſe habet, adeoque vere eſt, quod dicitur, expers eſt qualitatum dictarum: cum autem incipit præter naturam ſe habere, & Atra bilis fieri, induit aciditatem & auſteritatem.

Qua-

Quare 6. *Aph.* 56. ait idem, *Bilis flava semper irritat & mordet: humor Melancholicus non ſemper, ſed tum, cum ſupra modum exuſtus aut putrefactus malignam qualitatem induerit.*

Dicis, ſed ille idem de Atrab. 3. ait, *Humorem Melancholicum* οὐ σαφῶς, *non evidenter eſſe acidum.* Et 6. in 6. Epid. 27. *Humor Melancholicus nunquam fit tam acris, ut ad Atræ bilis acrimoniam accedat.* Et 2. Progn. 46. *Vtraque bilis radit.* Et denique 3. Acut. 38. ὑγιαίνοντος τοῦ σώματος, πλεῖον ἔχει τῆς τοιαύτης ποιότητος, ἀλλ' οὐ μὴν ἀκριβῶς.

Vnde ſic inferre licet. Si Melancholia non evidenter eſt acida, & acerba: fuerit tamen aliquo modo. Si aliquam habet acredinem: non prorſus nullam habet. Si (ut ita explicem) aliquo modo radit: non eſt prorſus expers acredinis. Si non exactam habet aciditatem & acerbitatem: habet tamen ſic ſatis multum. Ita enim intelligo τὸ πλεῖον.

Reſpondeo. In artibus ſemper licuit, ſemperque licebit certos ponere cancellos, quos intra ſubſiſtant rerum diſtinctiones. Ergo, *humor Melancholicus* dicitur, non is tantum, qui mere naturalis eſt, & nullius qualitatis ex-

pers:

pers: sed etiam, qui qualitatis hujus vel utriusque vel alterutrius quoquo modo est particeps. *Atra bilis* appellatur, quæ evidentissime habet utramque, adeoque propter easdem ζέσιν quandam καὶ ζύμωσιν, ut ex Plat. 14. *Meth.9.* & alibi loquitur Gal. Tum vero, ut acetum, terram fermentat, partes, quas attigerit utplurimum lethaliter exulcerat, ipsa non attingitur ab ullo animali; neque gignitur in illa ullum animal, ut neque in mari mortuo, &c. Quamvis itaque Melancholia aut humor Melancholicus dicatur etiam is, qui habet tantillum aciditatis: eatenus tamen naturalis non est. Jam enim aliquid habet præternaturale, cujus vi agit, quod agit: quo fit, ut actio ipsa sit præternaturalis.

Et (ut redeam tandem ad usum nostrum) velit aliquis actionem ventriculi naturalissimam, acceptam ferre humori præternaturali? totam, inquam, actionem, non adjumentum tantum, ut illi videntur velle?

Ut jam liceat concludere, si illa ventriculi circum alimentũ usque ad perfectam coctionem περιστολὴ, constrictio & quasi circumplexio, fit ab humore: non

non fit à Melancholia, ſed ab Atra bile. Melancholia enim neque acida neque acerba eſt: Atra bilis autem habet utramque qualitatem. Quæ vero Melancholia tantillum habet alterutrius, illa licet dicatur, non eſt tamen Melancholia. Quare etiam actio non debet tranſcribi Melancholiæ, ſed Atræ bili, cujus fines jam ingreſſa eſt. Hæc de nominum diſtinctione dico autoritate Gal. Is enim 2.*diff.febr*.9. *Melancholiam dici*, ait, *quamdiu non exquiſite in Atram bilem degeneravit, ſed in confinio adhuc eſt*. Et *de Pleth*.11. *honeſtius*, ait, *vocari Melancholiam, quam Atram bilem, quamdiu nondum plane acida eſt* Ergone, *inquis*, tam operoſa diſputatio tandem eſt devoluta ad quæſtionem quid nominis? Minime vero. Nos enim quia agimus de *Melancholia*; à Melancholia autem plurimum differt *Atra bilis*, quod alibi oſtenditur: non oportet confundere, quæ natura diſtincta ſunt. Si *inſtas*, Non referre, Melancholia an Atra bilis ſit? Inſto ego, Referre plurimum. Naturalia enim opera peraguntur naturalibus ſubſidiis. Conſtrictio autem ventriculi quia maxime naturalis eſt: ab humore præternaturaliter fieri non poteſt. Sed,

Sed ſit ſane & hoc ex ſuperabundanti, Sive Melancholia ſive Atra bilis ſit ille humor, de quo agitur, oportet vis & efficacia ipſius, in ventriculum effuſi, tamdiu duret, quamdiu durat coctio. At vero, cum procul dubio à calore concoquente diſſipetur, neceſſario ſemper alius atque alius ſubſtituetur, qui præſtet conſtrictionem illam, qua opus habet coctio. Quod iſti nec dixerunt, nec dicere poterunt.

Concludo igitur, Quod humor dare non poteſt, id dat facultas retentrix.

Melancholiam non præſtare ventriculo id, quod Arabes putarunt.

CAP. XXI.

Fortaſſis cum difficultates has videret Avicenna; ſciret vero Gal. ſcribere, *de Anat. ven.*1. Vas breve aſcendere aliquando ad os ventriculi ſuperius: docuit 1. 1.*doctr*.4. *cap*.1. Vas breve ſemper eo uſque adſcen-

ſcendere, humoremque per id eo delatum, non tantũ corroborare, ſeu conſtringere ventriculum, ſed & appetitum facere.

Inquit enim, *Vtilitas ideo accidit, quia in os ſtomachi quaſi mulgendo profluit. Et hæc quidem utilitas eſt, duobus modis, uno, quia os ſtomachi ſtringit, & confortat & inſpiſſat, Alio, ut in ore ſtomachi commotionem faciat propter acredinem, & excitet ad famem, & faciat deſideriũ.*

Hunc, ſequitur Averr. 2. *Coll.* 8. *Splen.* inquit, *habet unum meatum, qui tangit os ſtomachi, & mittit ei partem parvam Melancholiæ, ad pungendum illud, & ad movendum appetitum: quia iſta operatio provenit à rebus acetoſis.*

Hoc ergo volunt, Melancholiam non conſtringere & cogere totum ventriculum, quod Gal. docet: ſed partem ejus tantum, quæ *Os ventriculi* ſeu *ſtomachus* dicitur. Illa vero conſtrictione non juvari coctionem ventriculi, quod iterum Gal. ſed cieri appetitum.

Ego vero heic etiam Naturam accuſo, quæ os ventriculi juſſerit petere rem tam neceſſariam ab excremento: Et quidem rem, quæ certo fit ordine, ab excremento, quod temere influit.

Quid

Quid enim non dicam *Temere?* Quia, ut antea dixi, nulla probabilitas oſtendit influxum humoris hujus: quia etiamſi influat, nullum φαινόμενον oſtendit, quo tempore influat.

Nam quod illi dicunt, non influere, niſi peractis ordine ſingulis coctionibus, jamque per ſucceſſionem quandã ab ultima ad primam ſolicitato ventriculo: apud me valde εὐηθὲς eſt.

Ut enim concedam ſolicitationem ſeu ſuctionem illam: quid habet illa commune cum vacuatione excrementorum? Eſtne neceſſe, ſi ſuctio illa pertingit ad ventriculum uſque, per eandem ſtimulari ſimul partes ad excretionem? Ego vero ab ipſiſmet didici, vacuari excrementa, non ab illa ſuctione, ſed à facultate expultrice, cum illa urgetur vel à copia excrementorum, vel à qualitate.

Neque dicere poſſunt, Expulſionem ſemper & in omnibus partibus fieri, ſubito atque concoxerunt: hoc enim non reſpondet illi, quod jam ex ipſorummet ore dixi, ob copiam vel qualitatem fieri. Poſt ſingulas autem coctiones, in ſingulis partibus, ſemper & in omnibus hominibus aut tantum ſupereſſe

peresse excrementi, aut tam acre, ut opus sit expulsione: non credet ille, qui scit, quam diversa sint temperamenta, & quam in singulis variet ista res.

Jam autem necesse est, ut, si rationem reddere velint sempiterni, quique in omnibus hominibus est, appetitus, asserant, semper & in omnibus expelli ad ventriculum excrementum hoc, quoties appetitus adest.

Hoc vero tantum abest, ut possint, ut ne in uno quidem possint, siquidem servatur ordo, quem illi præscribunt. *Dicunt enim*, Melancholiam separari primum in hepate, deinde ire ad lienem, in liene elaborari, & quidem κατὰ πολλὴν χολὴν, denique in ventriculum mitti. Hæc omnia intercedere omnem famem, tam verisimile est, quam verisimile est totum hoc commentum.

Sed & non cohæret cum illo dogmate, quo dicitur, Cum mane surgimus, laudabilis, per noctem obitæ, coctionis signum est, si excrementa singula deponantur. Tum vero si deponitur etiam Melancholia in ventriculum, cur plerique omnes non esurimus?

Sed habeant se optime omnia hæc; Certone dicere possunt, hoc excremen-

tum tam esse prudens, ut non veniat ocyus aut serius? Dicent forte addita ratione, quia pellitur à Natura. Natura autem est ordo quidam, nihilque in ea fit sine ordine. Ego autem hoc non volo, sed illud, An natura in expulsione hac servet ordinem illum, qui prorsus sit conformis ordini illi, quem servet in appetitu? Profecto, ut bene Th. à Veiga, *Naturale membrum, quale est lien, rationis opera exequi non potest.* Quare non immerito ab eodem appellatur totum hoc commentitium, quodque pie tantum creditur.

Certone sciunt, esse hoc excrementum in ea quantitate & qualitate, quæ appetitum facere possint naturalem, & nõ potius *Caninum* dictum? Certe sensibilitas & insensibilitas oris ventriculi in tanta est latitudine, in quanta sunt ipsa individua.

Certone sciunt, esse hoc excrementum tale, quod appetitum faciat, & non potius *Cardiogmon*? Certe si ipsum sit valde acre, osque ventriculi valde sensibile facile fieri potest.

Certone sciunt esse hoc excrementum tale, quod faciat appetitum, & non *inappetentiam?* Certe tale quid facere posse, jam ostendere conati sunt duo

magni viri Manardus ex *6.Loc.aff.* 1. Th. à Veiga *ex 3.in 6.Epid.* 37. de quo loco jam. Et addit modum Trincav. 3. *Conf.*15.si nō sit acida. Quod fieri posse, satis ostendunt loci Gal.supra allegati.

Certone sciunt affluxum humoris esse causam famis seu appetitus, & non potius famem seu appetitum esse causam affluxus humoris? Certe idem Th. à Veiga videtur mihi prorsus demonstrare posterius hoc *ex 5. Loc. aff.*5. & 3. *Fac. nat.* 13.

Hæc ubi sciverint & docuerint, habebunt me ὁμόψηφον.

Interim cum Gal.1.*caus. symp.*7.contentus ero indigentia ventriculi naturali: sed paullo aliter explicabo. Ventriculus, ceu agens naturale, non potest quiescere, quando vult. Quando igitur non habet cibum, in quem agat, agit in seipsum. Et hinc est molestia illa, quam sentimus in fame. Cessat autem molestia sumto cibo, non quod ventriculus alatur chylo: sed quod ventriculus jam desinat agere in se, agens in chylum. Atque hoc responsum esto iis, qui se ab hac difficultate expedire nō possunt aliter, quam concesso illo, ventriculum nutriri chylo.

Hoc ipſo loco quia Gal. cauſas laborantis appetitus enumerans, non enumerat defectũ humoris hujus; quia 4. *uſ.part*.7.non meminit humoris hujus: ſuſpectus ſit uſus hic.

Si dicere voles, Gal. vel conſulto prætermiſiſſe, vel non potuiſſe ejus meminiſſe, quod ignota ei fuerit; Avicennam autem, ex ipſa re doctum, addidiſſe: dicam, addidiſſe quidem 13. 3. *tr*. 2. *c*.7. ſed hoc obtinere non poſſe, A Melancholia fieri effectum hunc. Si enim, qua de re ſupra; Melancholia deſtituitur duabus decantatis facultatibus; habet autem illam Atra bilis: hæc etiam, non illa faciet appetitum.

Hoc docet Gal. *de Pleth*.11. *Valde famelicos fieri, quibus ſuccus Melancholicus ſit malignior*. De cujus vocabuli ſignificatu ſi certior fieri voles, dicetur tibi ex 2. *Fac. nat. 9*. tum fieri malignum, cum per exuſtionem & corruptionem degenerat in Atram bilem.

Honeſte igitur Fuchſius, atque adeo autoritate Gal. *l.c. de Pleth*.2. *aph*. 21. munitus, dicere poteſt, ſi admittatur hæc cauſa appetitus, admittendam eſſe aliam etiam, quæ, inquam, à pituita acida fit. Nam, quomodo facit Atra bilis: eodem facit pituita acida. At u-

traque quia præter naturam eſt: non habet etiam heic locum ulla illarum.

Sed ſit ſane, Non Atra bilis, ſed Melancholia faciat: erit tamen frigida cacochymia, quam Gal. in *de ſympt. cauſ.* facere ait, non famem naturalem, ſed mordicationem quandam, fami analogam, à qua etiam cieatur, appetitus, naturali non diſſimilis. Et hæc mordicatio in Melancholicis eſt, qui ob eandem ſunt voraces. Sed & propter habitus frigiditatem ſunt, non autem infuſionem humoris in ventriculum. De quo humore qui explicare voluntillud *6. Epid.* 4. *t.* 20. apud Gal. *Aqua vorax*: ſine autore id faciunt. Sed ſit ſane res ipſa: Viſi ſunt ſplenetici, qui nigram vomentes aquam, ſiniſtrumque hypochondrium habentes intenſum, non ederunt, ſed vorarunt, quaſi canina fame perciti. At hos laboraſſe cacochymia frigida, qua fronte negabũt.

Hinc infero, ſi ab humore valde frigido fit appetitus præter naturã, quem *Caninum* (de hoc enim ibi agitur) vocamus: ab humore non valde frigido excitatus appetitus non erit præter naturam? At nobis de naturali ſermo eſt.

Et ne putes, Cacochymiam Melan-

cholicam non esse in hoc sensu, audi Gal.3. *in.6. Epid.*37. Refutans enim ibi sententiam illorum, qui τὸ φαγεδαῖνα exponebant de omni præter naturam magno appetitu, ait, *Verum quidem esse & in confesso, nimios ciborum appetitus fieri à cacochymia: non tamen omnis hujus cacochymiæ medelam esse hæmorrhoidas de quibus ibi Hipp. sed Melancholicæ potissimum.* ὀξύτης δὲ χυμῶν ψυχρά, addit, τὴν τοσαύτην ἐργαζομένη τῶν σιτίων ὄρεξιν, ἤδη τισὶ, καὶ τοὺς αἱμορῤῥοΐδας ἐχόντων ἐγένετο. Quo quid clarius est, appetitũ, à Melancholia factum, esse præter naturam?

Ubi iterum dico, si maxime concedatur, naturalem esse, non posse tamen satis probari, Melancholiam semper habere duas illas qualitates. Quando igitur acida non est: unde est appetitus? Iam igitur quiescere possunt illi etiam, qui ex 2. *caus. sympt.* 6. docent, Naturam heic fecisse illitione Melancholiæ, quod facit alias ars aspersione salis & salsamentorum. Vt enim sal μωρανθεὶς (liceat mihi absque impietatis nota uti hac voce Servatoris) non salit: ita Melancholia ἄποιος non facit appetitum. Sed & totus ille locus de humoribus agit præternaturalibus. Heic calcitrat quidam. *Si Melancholia immodica, &*

hoc ipſo præter naturam, facit famem præter naturam: Cur Melancholia modica, & ſic ſecundum naturam, non facit famem ſecundum naturam? Nam quæ magnitudine eſt, inquit, *ſpecie non eſt præter naturam.*

Reſponſio eſt triplex. 1. μέγα λίαν εὔτημα eſt illud famem magnam non eſſe *præter naturam.* Quid enim eſt fames Canina, quam magna? 2. Gal. ipſe *l. c.* diſtinxit famem hanc *præter naturam* à fame *ſecundum naturam*, quando negavit, famem dici poſſe. 3. Sed ſit fames: Eſt illa tamen ab Atra bile, ab illa, inquam Melancholia, quæ aceſcendo facta eſt maligna?

Idem urget hoc modo. *Tamen Melancholia hæc eſt naturalis, quia fit à Natura, non minus, quam ſenectus.*

Heic neſcio, Improbitatem an imperitiam dicere debeam? Cum enim veriſimile non ſit, tantum virum latuiſſe diſtinctionem Galenicam, in opera naturæ, & ſymptomata, qua de ille *de diff. ſympt. 6.* & meminit de Maraſmo: venio fere illuc, de induſtria voluiſſe illum præſtruere oculis noſtris. Ad rem igitur dico, ſi Avicenna hoc voluit, ſymptoma ſpectavit, non opus naturæ, & à nobis audiri non debet.

Sed & propterea audiri non debet, Quia eſt cauſa appetitus ſuperflua. Si enim ſufficit ſuctio Galenica, quid opus eſt hoc humore?

O, inquit ille, *nihil prohibet, Naturam ad unam aliquam rem uti cauſa aliqua præcipua: ad eandem abuti alia, ſed minus præcipua.* Et videtur hoc mihi velle dicere. Quemadmodum ſufficit inteſtinorum vis περισταλτική, tam diſtributioni alimenti, quam expulſioni excrementorum; addidit tamen Natura ἐκ περιουσίας bilē ſtimulatricē: ita heic.

Reſp. ſi tam certum eſſet, Melancholiam ire in ventriculum, quam certum eſt in duodenum ire bilem: bene ſe haberet forte res. At vero quia nullo φαινομένῳ oſtendi poteſt itio illa, merito etiam relinquimus, & dicimus, Naturam ſoli facultati permiſiſſe hoc, neque addidiſſe ullum ſuccenturiatum.

Inquis, *quemadmodum in inteſtinis eſt pituita, ob quam fere bilis it: ita in ventriculo etiam eſt.*

Reſp. At pituita in ventriculo nondum eſt ita diſtincta, ut in inteſtinis eſt. Præterea, Melancholia longe abeſt à facultatibus bilis. Efficaciam autem hic inſpicio, non identitatem. Præterea pituita non impedit appetitum, quin

auget, si in majori copia est.

Alia etiam causa est, Cur Avicenna audiri non debeat? Vas enim breve tam raro ascendit ad os ventriculi, ut *Vesalius* (at qui vir! Is ut vitula ejus arent plerique, licet nuspiam fateantur aut quod pejus est, etiam insectentur, ne suspicetur quis furtum) nunquam id viderit. Effectus autem universalis debet esse causa universalis. Quæ quia heic non est: imo vero, quia non nisi rarissima est: jure merito abjicitur totum hoc commentum.

Sed & in iis, in quibus vas breve pertingit eo, desunt alia omnia quæ dicta sunt.

Eadem plane militant contra eos, qui à Melancholia famem cieri dicere nolunt, sed acui dicunt, & adjuvari, melioremve fieri ut loquuntur. Non enim advertunt tales, quibus gladiis etiam ita se induant.

Melancholiam non præstare ventriculo utrumque.

CAP. XXII.

SI neutrum eorum, quæ dicta ſunt, facit Melancholia: multo minus faciet utrumque.

Ergo, inquis, *ineptum eſt, velle actum agere.* Ego vero id non ago, ſed ut probem, eos qui talia ſomniant συγκλώθειν ἀσύγκλωστα ut de alio negotio loquitur Syneſius *ep.*57.

Ea de re cogitandi anſam mihi dedit diligentiſſimus *Reuſnerus*, quem aliquoties laudavi. Non dubito autem eadem de re cogitaſſe ſummum etiam *Valleſium*, & tamen, ut vulneri δυσκατουλώτῳ remedium afferret, applicuiſſe Emplaſtrum illud, quod non ſine dolore ter imponit, iterumque revellit, ut habeat credo, quod imponat.

Quid enim illud eſt, quod toties repetit, *vas breve in medium ventrem implantari?* Nimirum, Circino illum uſum fuiſſe oportet minime fallaci, qui etiam, in quibus non eſt ita, dixerit ita eſſe, aut certe in Hiſpania tā eſt Arithmetica Natura, ut inſertionem dicti vaſis ſemper metiatur ad hanc regulā.

Parcant, quæſo, mihi manes, Viri, quem alias veneror & colo, ſi excipias ſolum hoc juvenile Controverſiarum ſcriptum. In hoc enim quia quater ſeptem annorum, judicium ſibi ſumſit

de rebus, quæ pertinent ad ſepties ſeptem annos: licet fortaſſis illi, qui ſeſe illi opponit, Socratis Muſam æmulari, quæ erat, autore Gal. 1. *uſ. part.* 9. μιγνύειν ἀεὶ τὴν σπουδὴν ἐν μέρει παιδιᾶς.

Revera enim (ut adrem veniam) non niſi in pauciſſimis ita eſt, ut dicit ipſe. In quibus autem non eſt ita (& ſunt illorum quamplurimi) quæ ratio eſt, cur illi in actionibus ventriculi nihil deſiderent?

Sed & in iis, in quibus eſt, non poſſunt conſiſtere illa ſimul.

I. Cum appetitus præcedat, ſequatur concoctio, ſeu potius conſtrictio ad concoctionem, adeoque, quo tempore venit appetitus, non debeat ſimul venire conſtrictio: queî poteſt ab eodē fieri utrumque ſine inſigni operum Naturæ confuſione?

II. Cum, deſinente appetitu, incipit conſtrictio ad concoctionem; cum ab eodem fiat utrumque; queî dici poteſt, non fieri novum ſimul appetitum, quo nullatenus eſt opus, turgente ſcilicet jam ante ventriculo?

III. Cum appetitus habeat opus certa Melancholiæ copia; (non enim quodvis agit ſub quavis quantitate) opus

opus etiam habeat constrictio ad concoctionem: quis promus condus, ut recte inquit ille, librat ista omnia justitiæ lance?

IV. Cum pro diversitate ventriculorum diversa sit opus Melancholiæ quantitate; neque certo dici possit, in omnibus gigni tantum, quantum requirit ventriculus individui: quis me certiorem faciet, tantum gigni heic, quantum necesse est?

V. In iis, in quibus generatur exquisite tantum, quantum uentriculus vult: quis scit an non feratur totum, modo ad os ventriculi modo ad fundum, itaque vacillet alterutra actio?

VI. Si contingat, Confertim irruere vel ad os, vel ad fundum, præcipue si insigniter sit acerba: quis spondebit mihi fore, ut cieatur tantum actio illa naturalis, quam ciere dicitur, & non potius symptoma aliquod se exserat, quod totam ventriculi Oeconomiam everti indicet?

VII. Forte in μελαγχολικωτέροις hæc omnia rectissime obibuntur? Hei mihi, tantum abest, ut quidquam horum recte fiat in his, ut etiam perpetuo conquerantur. Forte igitur obest potius his, quam prodest. Nam si eo

modo agit, quo dictum eſt, puta, ut, conſtricta ventriculi parte poſt partem, conſtringat totum: conſtrictio hæc proveniet etiam ad inteſtina, facietque alvum immorigeram. Ab hac autem appetitum dejici, concoctionem vitiari, adeoque omnia turbari, quia novum non eſt: non mirum etiam eſt Melancholicos tam eſſe querulos.

Forte hoc indigitavit Gal. 5.*Loc.aff.* 5. Cum de *Hypochondriacis* loquens, *ut plurimum* dicit *ſplenicos illos eſſe*. Quocirca conjiciendum eſt, inquit, ex hoc etiam viſcere vitioſam ſaniem in ventriculum irruere. Quis autem fuerit μοχθηρὸς ille ἰχὼρ, ſi non Melancholia maligna & corrupta, ut alibi loqui illũ intellexiſtis? An igitur dicendum eſt: Quod facit in Melancholicis evidenter, in aliis facere ſenſim & παρὰ μικρόν. Abſurdum ergo non eſt, dictum humorem hunc ſemper aliquo uſque lædere facultates ventriculi, uſque dum detrimentum fiat ſenſibile.

Sed nugarum ſatis. Quare totum ita concludo. *Quia Melancholia non influit in ventriculum, neque ſi influeret, eſſet ullus ejus uſus: ſtat illud etiam, Melancholiam purgari recta per anum.*

De

De morbis Lienis.

CAP. XXIII.

Explicata Lienis œconomia naturali: conſequens eſt, ut aliquid addatur de *morbis*, qui accidunt, poſtquam œconomia illa vitiata eſt, idque autoritate Ariſtotelis.

Cum enim quæ coctio heic fit, & ſecretio, ſit, ut Bonamicus loquitur, præcipua: illa non rite adminiſtrata, non poteſt non cum corporis detrimento fieri. Quare Ariſtoteles, propoſito Lienis officio, ſubjungit: ἂν δὲ τὸ περίττωμα πλεῖον ᾖ, ἢ ὀλιγόθερμος ὁ σπλὴν, νοσερὰ γίνεται (ſub. σώματα) πλήρη τροφῆς.

Quod ita intelligo cum Bonamico: *Duæ* ſunt cauſæ, ob quas lien, & propter lienem totum corpus, male habet. *Altera.* Si victus omnis ad excrementi Melancholici generationem ſpectet, ut lien, quantumvis bene ſe habeat non poſſit ſatis eſſe illi conficiendo. *Altera.* Si lien ſeipſo ſit debilior, nec poſſit chylum ſuum domare. Alterutrum accidat, pejus autem utrumque, corpus fit morboſum, vitioſo & morboſo alimento per totum diſtributo, læſiſque adeo omnibus operibus naturalibus.

Generatur autem & diſtribuitur tam vitioſum alimentum in & ex hepate. Hoc enim, cum vel ob copiam chyli ſibi non analogi, vel ob vitium lienis non liberatur illo, quo alias ſolet: & retinet & coquit, quod poteſt, quando, quod vult, non licet. Tum vero eſt ſtatus ille, cujus ſupra in ipſo pene veſtibulo ex Platone, Hipp. & Gal. memini. In quo cum lien neceſſario obſtruatur, non raro ad ſcirrhum uſque, quippe, ad quem valde proclivis eſt, ut intelligitur ex ſuperioribus: non poteſt non lien accipere inde mirabiles illas figuras, de quibus hiſtoriæ loquuntur, aucto illo, modo ſecundum omnẽ dimenſionem, modo ſecundũ unam, alteramve, modo æqualiter, modo inæqualiter, ut 3. *in* 2. *Epid*. 18. præter alios Vall. indicat, qui 2. *in* 6. *Epid*. 34. docet, Quanti interſit Medico, iſta bene diſtinguere.

Has obſtructiones ſequuntur, nõ tantũ varia ſymptomata, ſed & morbi magnam partẽ alio potius, quam ad lienẽ relati præſertim ſi ἀποσκήψεις conſideres, 6. *Aph*. 56. de quibus alia occaſione.

Sunt autem difficillimi, non curatu tantum, ſed & cognitu. Quod enim ad *cognitionem*, *duplex* eſt difficultas,

altera

altera in mirifice mira ſymptomatum varietate, ob quam Practici Protheo ſolent comparare: *altera*, in diſſimilitudine humoris mirifici, prædominantibus modo tenuibus & aqueis partibus modo craſſis & terreis. Quod ad *curationem*, *duplex* iterum eſt difficultas, *altera*, in artificioſa indicationum à diverſitate humoris ſumtarum complicatione, *altera* in partium craſſarum extrema contumacia. Cum enim partibus affectis ita ſint imbibitæ, ut lanis color, nec levibus cedunt medicamentis, nec vehementibus. Illa contemnunt, ab his irritatæ, non ſecus ac fermentum attolluntur in tumorem, faciuntq; ſymptomata quædam graviora.

His accedit, quod plerique horum morborum, etiam mentem tentent, communicata malitia cordi primum per arterias, deinde cerebro: Unde fit, ut *Dæmoniacos* eſſe tales, credat vulgus. Ipſi etiam ægri præter modum ſunt mirabiles, & cum ſemper remedia quærant, à nullis tamen ſe juvari (aliquando non fruſtra) dicunt.

Hoc eſt quod Ariſtoteles 7. *Eth. ult.* ait: *οἱ μελαγχολικοὶ τὴν φύσιν ἀεὶ δέονται ἰατρείας. Καὶ γὰρ τὸ σῶμα δακνόμενον διατελεῖ διὰ τὴν κρᾶσιν, καὶ ἀεὶ ἐν ὀρέξει σφο-*

ἀρχὰ εἰσιν. Qui natura sunt Melancholici, semper quærunt medelam. Ejus rei causa est, quia ex temperamenti ratione Corpus ipsorum semper irritatur ad alia atque alia, quæque irritati appetunt, vehementer appetunt. Cæterum, de varietate effectuum, quos Melancholia edit, causisque illorum videri potest Aristoteles 30. *Probl.* 1. Bonamicus 2. *Alim.* 17. Holler. & Iacot. *in Coacis l.6.com.1.l.2. aph.* 42. Mercurial. 1. *Cons.* 53. *&* alibi.

Verum de his satis: forte etiam de toto negotio, quod finiam, ubi Coronidis loco de Ulmi sententia judicium dixero.

De libello de liene Franc. Vlmi. Pictaviensis Galli.

CAP. XXIV.

Quod solent illi, qui nova attulisse videri volunt, id fecisse etiã hunc, supra indigitavimus.

Hoc autem voluit: *Quemadmodum hepar sanguinem conficit pro dextro cordis ventriculo: ita lien sanguinem facit pro*

pro sinistro adeoque in liene sanguis arterialis præcoquitur & præparatur cordi & arteriis. Ita enim loquitur.

Qua in re quid potissimum spectasse illum verisimile est? Tria ni fallor.

I. Naturam, pro gemino cordis ventriculo, debuisse & voluisse instituere gemina viscera sanguifica, pro dextro hepar, pro sinistro lienem, unde utrique recta via sanguis veniat sursum.

II. Lienem ob id habuisse plurimas venas & arterias sanguini parando perquam idoneas, ne dicam de similitudine illius cum hepate.

III. Sanguinem in liene factum, tenuem esse, qualis arteriosus etiam est.

Sed profecto, intuitus est hæc omnia in superficie tantum.

I. Non est καθόλυ. Ubi enim lien non est, unde accipit sinister ventriculus? sed & in iis, in quibus est, qua via sanguis it ad Cor?

II. Non concludit. Licet enim concedam, Lienem sanguificare: non concedo tamen, facere talem sanguinem. Analogia etiam, quæ est inter venas & arterias de qua supra aliud suadet scilicet, Arterias non offerre ex liene, sed inferre. Nam (quod pertinet etiam ad prius) illationem prohibent valvu-

læ, quæ ad oſtium Aortæ ſunt.

III. Eſt alienum. Tenuitas enim ſanguinis hujus non eſt à calore, quemadmodum arterioſi: ſed à multa permiſta aqua. Talis autem ſanguis non eſt materia inepta ſanguinis arterioſi.

Et miretur aliquis jure, ſi *Vlmus* ex liene volebat deducere ſanguinẽ quendam, cur non utraque manu acceptarit Ariſtotelis ſententiam, lienem eſſe officinam ſanguinis cujuſdã? At quomodo acceptare poterat, quam non intelligebat? Cujus rei argumentum eſt, quod de vaporibus & flatibus tã multa affert quæ Ariſtoteles nunquam ſomniavit.

At probat, inquis, cum de vaſorum lienis textura tam multa dicit? Video equidem hoc primum ejus argumentum eſſe quod pro Ariſtotele ſupra fuit etiam allatum: at ille Ariſtotelis tam novit eſſe, quam ego ipſum novi. Sed nihil refert, cujus ſit. probatne quod probare debet? Minime. Hoc enim tantum probat, ſanguinem ibi fieri: at ſanguinem ibi factũ ad cor ire nõ probat.

Ejuſdem valoris eſt *alterum* ipſius argumentum. Symptomata enim allata omnia, ipſo fatente, pendent ex debilitate caloris, non recte conficientis pabu-

pabulum ſuum. Pabulum autem hoc cum primum fieri debeat in venis, & inde ferri in arterias, ſi in venis nõ bene curetur, quomodo poteſt id emendari in arteriis? Hoc autem quid commune habet cum illo, quod probare debet?

Ejuſdem prorſus generis eſt *tertium* de ortu venarum ex corde, quod munit autoritate Jouberti. Quid enim ad rem propoſitam facit, ſi maxime verum ſit, ut eſt, venas eſſe ex corde?

Nihil igitur agit *Vlmus.* Non multo felicior eſt in illo παρέργῳ, quod tractat. Quomodo ſanguis in ſiniſtrum cordis ventriculum veniat?

Ut enim facilius obtineret, ſanguinem liene factum transferri in Aortam, & inde in ſiniſtrum cordis ventriculũ, non obſtantibus valvulis Aortæ, ab interioribus ad exteriora ſpectantibus, & ideo egreſſum quidem concedentibus, non autem ingreſſum: refutat primo Galeni ſententiam de translatione ſanguinis ex dextro in ſiniſtrum ventriculum, per medium cordis Diaphragma: deinde Columbi, ex dextro ventriculo in venam arterioſam, ex hac in arteriam venoſam, & denique ex hac in ſiniſtrum ventriculum: poſtea Botalli,

per foramen quoddam, de quo dicam.
Sed revera non proficit hilum.

Quod enim attinet ſententiam propriam de non obſtantibus valvulis, licet concedat Gal. etiam, non claudi illas exactiſſime, ceu videre eſt 3. *Fac. nat.* 13. ad quem locum ſe refert 6. *uſ. part.* 16. tamen non ſufficit id. Ad tantam enim ſanguinis copiam cordi ſuppeditandã, quanta deinde per Aortam in totum corpus fertur, requiritur via ſatis lata, & non tantopere impedita.

Sed & diſparet ratio fœtus nondum editi in lucem, & editi. In nondum enim editis, quia alia eſt œconomia, de qua videre eſt Gal. *uſ. part.* 20. & 21. alia etiam eſt ratio translationis ſanguinis. Nimirum, ſanguis arterioſus per tubulum, ex Aorta in venam arterioſam pertinentem, influit; ſanguis venoſus per ἀνασόμωσιν, ex vena cava in arteriam venoſam ſpectantem.

Unde jam apparet falſitas aſſertionis, In fœtu obſtare valvulas, quo minus ſanguis arterioſus in ſiniſtrum cordis ventriculum illabatur. Non enim illabitur in ventriculum, ſed ex arteria in arteriam, ſi ſubſtantiam ſpectes, quemadmodum etiam ſanguis venoſus non

non illabitur ad dextrum cordis ventriculum, ſed ex vena in venam, ſi iterum ſubſtantiam conſideres. Interim, communicari utrinque aliquid ventriculis, dubium non eſt.

Quod ad Gal. licet non probem ſententiam illam, quæ de medio cordis Diaphragmate eſt, vel ob id, qua ex ipſomet *6.uſ. part.* oſtendi poteſt, Arteriam venoſam accipere ſanguinem à vena arterioſa; itaque Gal. ipſe Columbi ſententiam quoquo modo amplectitur: tamen Ulmus non recte refutat. Iterum enim affert prius illud, ſi in non editis via illa non eſt, non erit etiam in editis. Diverſam enim œconomiam eſſe, Natura ipſa clamat gemino illo oſtio, de quo dixi, quodque in editis poſt aliquot dies aboletur, ſive, ut quidam loquuntur, ſigillatur.

Quod ad Columbum, *primam* ejus rationem ne conatur quidem refellere. Ait enim tantum, quod Columbus negarat. Quid igitur ſi dicam, tantum valere negationem hujus, quantum affirmationem illius? Veruntamen, ſi dicere oportet, quod res eſt, ſi quis, non occupatus alia opinione, intueatur venam dictam arterioſam, ille fatebitur,

majo-

majorem esse, quam postulet nutritio pulmonum. Hos enim si compares cum musculis quibusdam, qui ejusdem pene sunt magnitudinis, quam altera ejus pars est: videbis non nisi paucas, easque exiles habere venas.

In *secunda* ejusdem ratione, insistit priori vestigio, sanguinem in arteria venosa contentum, esse ex corde, neq; tam exacte claudi valvulas, quo minus è corde aliquid sursum eat. Ego vero oppono illi, non tantum rationem antea dictam, sed & Gal. ipsum, qui l. c. concedit, habere sanguinem per ἀναστομώσεις, quibus jungitur venæ arteriosæ. Qua concessione jam utor, & dico, vena arteriosa est major, quam pro usu pulmonum: eademque plus sanguinis vehit quam ipsi conveniebat, quia communicat arteriæ venosæ, quæ pulmonibus nõ servit: ideo sanguis è ventriculo in ventriculum per illas ambages it.

Hoc confirmo amplius (liceat autem mihi, aliud agenti) illo Naturæ instituto, quo inter venæ arteriosæ & arteriæ venosæ ramos perpetuo collocaret bronchia, quæ ab aëre inspirato refrigerata, refrigerent utrinque sibi vicina vasa, inque iis contentum sanguinem.

Quid

Quod autem objicit piſces & alia animalia, quæ pulmonibus carent: non difficile eſt dilutu. Conſentit enim heic Peripateticis Gal. *6. uſ. part.* 11. In iiſdem non eſſe dextrum cordis ventriculum. Recta igitur fertur ſanguis ex hepate in unicum illum cordis ventriculum, qui dignitate reſpondet ſiniſtro noſtro. Quod enim heic dicendum eſt, Columbi ſententia non extendit ſe ad ea, quæ pulmonibus deſtituuntur.

Quod tandem iterum occinit ſimilitudinem ſuam inter editum fœtum, & non editum: crambe eſt, quam ſine vitæ periculo jam non attigeris.

Quod ad Botallum, meatus ipſius, doctiorum judicio nihil aliud eſt, quã ἀναστόμωσις venæ cavæ in arteriam venoſam. Qui cum ipſomet fatente, deleatur in perfectioribus, non eſt cur aut cogat Ulmum, iterum diſcedere ad nauſeabundam illam Cramben, aut jubeat me verbum addere. Itaque heic ſubſiſtam, cum voto:

Faxit Deus ter Opt. Max. ut & hic & omnes noſtræ vocationis labores cedant in ipſius gloriam & ægrorum ſalutem Amen.

FINIS.

CASP. HOFMANNI

De

VSV CEREBRI,

Secundum

ARISTOTELEM,

DIATRIBE.

CASP. HOFMANNI

IN DIATRIBAM

Suam de

USU CEREBRI

Secundum Aristotelem:

PRÆFATIO,

AD

D. D. GREGORIUM HORSTIUM, V. CL.

Versanti mihi Galeni scripta, mirari sæpenumero contigit, cur tam frequenter agat in Aristotelem, Archigenem, alios, in iis, quæ ad finem artis nihil faciunt? Ut enim ipsemet docet ad Thrasib. 28. τὰ οἰκεῖα τῶν τεχνῶν ἑκάστης θεωρήματα τὸ τέλος ὁρίζει καὶ κρίνει, propria cujusque artis præcepta finis terminat & judicat. *Et* c. seq. προσήκοντος ἀεὶ τὸ τέλος ὁ λόγος ἐξευρίσκει κανόνα τε καὶ κριτήριον ἁπάντων τῶν κατὰ τὰς τέχνας, ratio semper suadet, finem esse normam & regulam eo-

rum, quæ in artibus exquiruntur. *Docent hoc quoque Philosophi. Quemadmodum, dicunt, scientiæ pendent à subjecto suo totæ, ut quidquid non attingit subjectum, alienum sit ab illa scientia: ita artes ab usu. Hinc adeo Gal.* 1. Loc. aff. 1. 3. Loc. aff. 1. & alibi, *quæstiones Logicas, quin immo* 1. Prorrh. 33. *Sophisticas vocat omnes illas, quæ ab usu discedentes artificem facere possunt quidem doctiorem, non autem peritiorem. V. g. Fitne visio emissione, quod Gal. vult, an receptione, quod Aristoteles? Nihil refert in Medicina, utrum statuas. Non enim ex alterutro sequitur melior curatio affectuum oculi. Estne dysenteria morbus, an potius causa morbi? Nihil refert: cura me. Estne lienteria symptoma læsæ actionis, an potius mutatorum excretorum? Estne in ischuria vel dysuria, vel stranguria affectus meatus urinarius, an potius causa latet in meatu illo? Nihil plane refert. Ita, Sitne res vocanda hoc vel illo nomine? si non vis ita vocare, bletyri voca, aut scindapson, aut darapti felapton, modo constet de re. In ejusmodi tamen quæstionibus cur non raro occupatur Galenus? An alia dicit ex habitu philosophico, alia ex Medico? Ita censeo. Nam* 17. Vs. part. 1. *distinguit usum librorum illorum Philo-*

sophicum

ſophicum à Medico. Et in tractatione ipſa, ſæpe ab homine, qui librorum illorum, Medicis præcipue paratorum (quemadmodum etiam Adminiſtrationes Anatomicæ vulgo dictæ) ſubjectum eſt, divertit ad animalia alia. Nec injuria. Inquit enim Ariſt. 3. Polit. 8. τῷ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι, καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾶν, μηδέ τι καταλιπεῖν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν? Ei, qui Philoſophi more circa methodum aliquam verſatur, neque illa intuetur tantum, quæ artifex aliquis intueretur: proprium eſt & peculiare, nihil eorum relinquere, quæ ad veritatis illuſtrationem pertinent. *In eundem ſenſum Cic. ait 3. de Orat. Omnes artes aliter tractantur ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vita aliud ſunt acturi, aliter ab iis, qui eas ad uſum transferunt. Si itaque Galeno licuit philoſophari, atque ita artem facere productiorem, nobis non liceat? Si Galeno licuit Ariſt. inceſſere, nobis Ariſt. defendere non liceat? Præſertim, quia utrobique multa dixit* διὰ φιλοτιμίαν ἐν τῷ τότε καιρῷ, per ambitionem juvenilis ætatis, *ut fatetur* de lib. propr. c. 2? *Præſertim, quia pleraque omnia, etiam ſenex, ſcripſit,* οὐ πρὸς τὴν

ἔκδοσιν, non ad editionem, *ſed in gratiam amicorum proficiſcentium, aut alia occaſione, ut* ib. c. 1. *docet? ne facta quidem nominis ſui inſcriptione? ne relectis quidem? in aliis occupationibus? Et in his omnibus obrepſiſſe errores quoſdam, eſtne res adeo dictu impia? Fingi enim, inquit ille, dari non poteſt,* ὅς αὐτὸς πάντα νοήσῃ, qui unus omnia norit. *Non me latet, illum* l. c. δούλους, ſervos aut mancipia *vocare, quicunque ſectæ alicui ſe dedunt; non me fugit etiam, illum* 8. η. τόπ. 1. *dicere, ſectarios tales,* οὐ μόνον κωφούς, ἀλλὰ καὶ τυφλούς, non modo ſurdos ſed & cæcos *fieri, præ amore ducis ſui; ſcio quin etiam* 2. *ſimpl.* 1. ἐλεύθερον, liberum *ſe vocare,* καὶ περὶ ὅλον τὸν βίον ἀλήθειαν ἐσπουδηκέναι, in tota vita ſoli veritati, non ſectæ huic vel illi ſtuduiſſe: *non poſſum tamen hoc quoque ignorare (ne de conditione humana quidquam dicam, qua de re egregium ipſius dictum* 4. ſent. Hipp. 3. eſt, 8. η. τόπ. 1. de Archigene) *quod ipſe faſſus eſt modo, ſe per ætatem* φιλοτιμώτερον, ambitioſius & vehementius *egiſſe contra quoſdam,* ὅπως λυπείσαιο ut vexaret illos & ureret. *Ita enim ſunt mortalium ingenia, inquit magnus* Camerarius, ἐν τοῖς συμμίκτοις, *ut quod ab uno aliquo bene ſit excogitatum, labefa-*

ctetur

ctetur ab aliis ex mera æmulatione. Atque hæc dissensionum causa adeo late patet, ut vix sit ullus scriptor, qui non studeat superare alios, dum exquirit ea, quæ alium fugerint, & gestit exhibere aliquid singulare, & reperire, quod reprehendat. Quæ affectio omnibus in rebus insita est ingenio humano, eoque ista elatio & cupiditas vehementior est, quo animi sunt excelsiores. Laudis enim & gloriæ aviditas inexhausta est, neque facile satiari potest in iis, qui quacunque in professione, arteque & scientia principatum obtinere volunt. Atque occupata mens hac cura & anxietate, nihil aliud spectat, neque cogitat, quam ut superior sit. Itaque nonnunquam falsa, absurdaque defenduntur, & oppugnantur simplicia & recta, ne cedere unus alteri, aut hoc illi inferior esse videatur. Idque est, quod Socrates ait in Phædone, non esse Philosophi, sed litigiosi. Hi enim, *inquit,* orta disputatione & controversia de re quapiam, non curant, qualis ea res sit, neq; quid disputando explicetur: id vero cupide agunt, ut quæ proposuerunt ipsi, illa præsentibus ita se habere videantur. *Hæc ille: quæ ne frustra declamitasse dicar, agedum dispiciamus, An Gal. jure*

in horum numero ſit reponendus? De confeſſione oris propria jam dixi, ut merito laudes hac in parte ingenuitatem ipſius. Pluris facio ſenem, dicebat Scherbius, qui fateatur errorem, quam juvenem, qui contentioſe defendat falſa aut abſurda. De re ipſa, atque ut ne nimis longe à propoſito aberremus, de principatu membrorum (quod ſit nobis heic exemplum) quam non pene verniliter inſultat Ariſtoli ἐν τοῖς περὶ τῶν δογμάτων Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος, in libris de ſententiis (ita enim Scaliger) Hipp. & Platonis? *Revera autem eſt quæſtio in Medicina mere meriſſime Logica. Quod quia videbitur quibuſdam ridiculum, age conſideremus rem paucis. Ariſtotelis ſententia eſt, Cor, quia fons eſt caloris, quo animal ſubſiſtit, pars eſt omnium maxime neceſſaria, & abſolute princeps, quod non negat* Gal. 6. uſ. part. 7. *A corde eſt hepar & cerebrum, illud, propter alimenti confectionem, hoc propter ſenſum. Neutrum autem facit quidquam (hepar non præbet alimentum, cerebrum non facit ſenſum, motumque) niſi communicato calore à corde. Idem autem eſt, ſive calorem dicas, ſive calidum, ſive ſpiritus. Si ergo hepar ſanguificat, ope caloris ſeu ſpiritus à corde* ſub-

ſubminiſtrati; ſi cerebrum ſenſum & motum præbet, ope caloris ſeu ſpiritus à corde ſubminiſtrati: quidni affecto hepate medicinam afferamus illi? quidni affecto cerebro medicinam afferamus illi? ſed ita, ut non negligamus cor? ab hoc enim pendet ratio unionis facultatum, Platoni & Gal. inexplicabilis. Galeni ſententia hæc eſt, Cor, hepar, cerebrum, eſſe in pari dignitatis gradu, & à corde eſſe facultatem vitalem *dictam, ab hepate* naturalem, *à cerebro* animalem. *Ideo affecto cerebro remedia eſſe applicanda ipſi, non cordi: affecto hepate, heic eſſe laborandum, non ibi: Sed ita, ne negligatur penitus cor, quamobrem tam ſoliciti ſunt Practici in cognoſcendo robore facultatis vitalis ex pulſu, illique ſuccurrendi cordialibus medicamentis. Quia igitur affecto cerebro, affecto hepate, tam Ariſt. quam Gal. ſuccurrunt cerebro, hepati, ſed ita, ne poſthabeatur cor: quæ cauſa hujus belli eſt tantum non ἀσπόνδȣ,* irreconciliabilis, *ut noſtri homines putant? Ambitio Gal. qui Ariſt. premere voluit. Quam enim hic faciebat cauſam ſine qua non, ille dicebat eſſe per ſe, ne ceſſiſſe videretur Ariſtoteli. Quid autem ea res proficit in* Medicina? *Cerebro enim affecto aut hepate, ſive cau-*

ſæ ſint per ſe, ſive per accidens, ſuccurrendum eſt illic. Porro, quod Gal. imponit Ariſtoteli, Quia cor ſit primum ſenſorium, affectis ſenſuum aut motus inſtrumentis, cordi, non inſtrumentis afferenda eſſe remedia : calumnia eſt. Cor enim eſt primum ſenſorium, quatenus ſine calore cordis cerebrum non ſentit, aut movet : Cerebrum autem eſt inſtrumentum, abs quo non ſentit, ob cauſam in hac Diatriba explicandam. Cerebro itaque ſeu inſtrumento affecto : cur medicina illi non detur? Dolabra ſi non dolet, ob retuſam aciem, ob ferrum nimis abſconditum, ob ferri ejuſdem mollitiem : corrigit artifex vitium. Eodem modo de hepate. Si enim ſanguificatio illius ſit læſa, cur illi non feramus ſuppetias? Patet ex his, ni fallor, quod probandum mihi fuerat, Quæſtionem eſſe Logicam. Vtroque enim itinere venio ad eundem ſcopum. Vt hactenus fruſtra laborarit Galenus. At quia ſuaviloquentia Platonica illum tenuit adeo, ut ipſius Philoſophiam ſectari mallet, quã Ariſtotelis, quid attulit, quo Ariſtot. argumenta refutavit? Si, inquit ille 1. de Anima 5. t. 90. *anima eſt partibilis* τί δήποτε συνέχει τὴν ψυχὴν, quid facit ut una? *Ad hoc quidem (ut de aliis non dicam)*

cam)

cam) in æternum non reſpondebit. Quod ſi calorem cordis attulerit, in quem inclinat 6. uſ. part. 7. *accipiam teſtimonium cum gratiarum actione, quippe quod vel ideo magnifaciendum eſt, quia profectum eſt* ἀπὸ τοῦ καταγγηαζομένου ὑπὸ τῆς ἀληθείας, ab eo, quem ipſa veritas coëgit id dare, *ut loquitur* 5. Sent. Hipp. 4. *Nimirum, ubi anima eſt, ibi quoq; commune ipſius inſtrumentum eſt, quod inde in omnes partes ſeſe diffundit, Aſt in corde hoc eſt. Fateri hoc cogitur ob Adraſteas legem, cujus meminit eodem* 6. uſ. part. 12. & 13. *de cerebro, ſeu ſpiritibus animalibus, quorum* οἰκείαν ὕλην, propriam materiam *ait eſſe vitales, è corde ſublatas,* 9. uſ. part. 4. *& alibi. Vnde ſic infero, ſi cerebrum abſque corde non poteſt præeſſe rebus ſuis: quomodo in pari cum corde dignitate eſt? Memini, & cum pudore dico, magnum quendam virum in publica ſuper hoc negotio diſputatione tantopere his & aliis ſtringi, ut diceret,* Non eſt nobis curæ, quid dicat Ariſtoteles, apud Gal. eſt ita. *O ſenex venerande, ſi Philoſophum vis agere, oportet Philoſophis reſpondeas! Quod ſi non potes, cur tam turpiter imponis ſtudioſis tuis? Quantò ſapientius illi, qui cum Averroë,*

Avi-

Avicenna, Villanovano, aliiſque dicunt. Veritas philoſophica eſt, quam Ariſt. docet: at quia Gal. ſententia Medico non obeſt, ſectamur illam! Habet enim ſubjectum operationis, non demonſtrationis, ut poſtea dicam. Quod ſi omnino volent, potius, quam lites ſequar, dabo etiam hoc illis, Vtiliorem eſſe Medicis ſententiam Gal. quam Ariſtotelis. At ſi pertendere volent, veram quoque eſſe Gal. ſententiam, hoc eſt, adæquatam cum re, 6. Sent. Hipp. 5. (*hæc enim non commeant viciſſim*) *pugnabo, quam diu poſſum.* Nempe *enim vicinæ ſunt facultates, Philoſophia & Medicina, ut de altera in alteram facilis ſit tranſitus. Quod ſi aliquando cum bono Deo prodierit nobis Hercules aliquis, qui Medicinam ab omnibus ſpinis Philoſophicis perpurgarit: hunc ego ſequar lubentiſſime, tanquam Deum aliquem terreſtrem. Interim, quam diu cum Galeno, qui iſta miſcuit, negotium nobis eſt, licebit, ſpero, in his talibus liberè verſari. Et quia Ariſtotelem ille laceſſere voluit in doctrina de uſu cerebri; non pauci autem alii ante me viderunt, quod fiat ſummo Philoſopho injuria, & tanto quidem major, quo viciniores ſunt ſententiæ, ſi non ipſiſſimæ: libuit mihi iſta producere denuo*

nuo in lucem, & opponere illis, qui putant, Galenum nimis etiam molliter tractasse Aristotelem. Cujus rei ὑποτύπωσιν, subfigurationem, *cum ad te, Cl. Horsti, misissem nuper, ut scirem, quid tibi ea in re mentis esset: tantum abest ut improbaris, ut etiam stimulum subdideris, pauca illa & obscuriora diligentius excolendi. Quo ipso cum Diatribam hanc quasi tuam feceris, debui illam ad te ablegare. Ablego igitur nunc, & rogo, non ut defendas illam contra vitilitigatores, aliosque malevolos (quorsum enim tantam tibi molestiam! & in re tantum non ad oblectationem solam facta! has enim Græcorum esse* διατριβάς, *docuit me summus vir,* Casaubonus) *sed ut patiaris illam arrhabonẽ esse amicitiæ nostræ, jam paucis annis sincere cultæ, colendæque deinceps, quamdiu Deus voluerit nos in hoc vitæ stadio currere. Ille faxit, ut & hoc, & omnia alia, quæ in vocatione nostra præstamus, cedat in ipsius laudem, & emolumentum proximi. Bene & feliciter vale, Vir clarissime, & me, quod facis, ama. Altorfii Noricorum Cal. Novemb. anni Iubilæi* 1617.

CL. V.

D. CASP. HOFMANNO, MEDICO & PROFESSORI ALTORFINO.

Te vero genitum parvi intuma visere Mundi,
Cumq; suis totum partibus edere opus!
Prægnantem varia lustravimus arte Lienem,
Quem novus implesti nuper Aristoteles.
Nunc genio ingressus prægnantem Palladis arcem,
In capite Herc&i deliciare Iovis.
Heic sensus quærens cum sensu providus omnes,
Divinas cerebri mente revolvis opes.
Cum magno ut paritas Stagyritæ heic magna Galeno est,
Sic meritis veniet gloria magna tuis.

CASPAR. CUNRADUS,
Ph. & Med. D. Breslæ.

PROOEMIVM.

Si autoritas veterum tanti apud nos eſſet, quanti merito eſſe debebat: longe alia erat ineunda docendæ & diſcendæ Medicinæ ratio. Quo enim tempore, ut ex Gal. diſcimus 2. *Ex. Anat.* 1. erat ars noſtra in poſſeſſione familiæ Aſclepiadarum, cum de manu in manus traderetur *τοῖς ἐκγόνοις, liberis* duntaxat: pueri domi exercebantur, ut in aliis, ſic præcipue in Anatomiis. Poſtea vero quam viſum eſt illis, cum aliis etiam communicare *ἔξω τοῦ γένους, extra familiam*, ii vero eſſent jam viri, quos virtutis nomine colebant: ſimul & periit mos ille, & ars ipſa cœpit infœlicius doceri. Tum, ut ab Ariſt. qui ex eadem familia fuit, habemus 3. *Polit.* 7. *vel* 11. triplex eſt factus Medicorum ordo. Qui enim antiquo more fuerant eruditi, dicebantur *παιδομαθεῖς, à puero inſtituti.* Reliqui, ſive ob artis difficultatem, ſive quod

quod non omnes pariter essent affecti erga vulnera & ulcera: secessionem fecerunt. Alii enim vocati sunt ἀρχιτεκτονικοὶ, quod architectorum & imperatorum more nihil manu agerent ipsi, sed consilio tantum adessent ægris. Alii δημιουργοὶ, qui manum admoverent, vel medicamenta componendo, vel secando, vel emplastra, unguentaque applicando, vel alia denique agendo. Hunc morem ex parte obtinuisse Romæ suo seculo Gal. scribit *6. Meth. 6.* quanquam in Asia unus ageret omnia. Ego vero huc attuli, ut causam dicerē ἀπαιδευσίας, *inscitiæ* nostræ, vel ideo latius patentis, quia Anatomica non tantum negligimus in juventute, sed & postea non discimus recte atque ordine. Quæ enim puerili illi exercitio successisse videri potest προγυμνασία, *præexercitatio* in aliis animalibus, à Gal. laudata *3. Ex. Anat. 5.* & iterum *l. 6. c. 1.* adeo hodie obscura est, ut plerique indignam æstiment, cui horam unam aut alteram tribuant. Quare cum subito irrumpant in hominem, accidit illis, quod Romanis Medicis in bello Germanico seu Marcomannico (interfuit autem Gal. primæ Impp. profectioni,

quæ

quæ peste fuit disjecta, ut testatur *de Libr. c.* 2.) contigisse scribit Gal. 3. η. γν́. 2. ut nihilo plus discant, quam coqui. ἡ μὲν γὰρ τῶν ἐμπειρικῶν κατὰ περίπτωσιν, ἀνατομὴ, addit, λῆρός ἐστι μακρὸς, ὅμοιος ταῖς περικεντουμέναις αἰξὶν ὁλοχοίνοις ὀξείαις· ἔτι δὲ ληρωδεστέρα ταύτης, ἡ διὰ τῶν ἀνατομικῶν συγγραμμάτων μάθησις, ἐοικυῖα τοῖς κατὰ τὴν παροιμίαν λεγομένοις ἐκ βιβλίου κυβερνώταις. Quæ ita intelligo. *Empiricorum enim Anatomia, quæ incidenter & casu fit, nugatoria est, non dissimilis vociferationi caprarum, cum acutis juncis punguntur. Nugatoria vero magis est illa Anatomiæ scientia, quæ ex libris paratur, similis profectò nautis ex libro, ut in proverbio dici solet.* Hæc ille in hunc sensum: non, quod contemnat penitus observationes, quæ in vulneratis, aliisque fiunt, non etiam quod rejiciat scripta Anatomica, qualia ipsemet non pauca texuit, sed quod neutrū sit satis, ut alibi se explicuit.* Quid enim? Possit aliquis tot & tanta, quot & quanta Medico futuro sunt necessaria, uno intuitu discere? Possit vero simul semelque, non tantum, quæ ad sensum pertinent, sed & alia omnia percipere? Nimirum, non tradebantur

* *Vide Com. in* 7. *us. part.* 1.

illa antiquitus uno loco & tempore: ſed puer diſcebat domi *hiſtoriam* partium omnium, in ſchola vero *uſum* earundem. Quare apud Ariſt. quidem diſtincti ſunt libri de hiſtoria à libris de partibus, ſeu partium uſu: apud Gal. autem, præter hæc duo diſtincta opera, erant explicatæ ſigillatim diſſenſiones Anatomicorum circa utraque, ut colligitur ex *6. uſ. part.* 12. Quin &, ut ex eodem loco, & multis aliis prædicti operis liquet, demonſtratæ erant antea actiones ſingularum partium. Quæ cum præſupponant facultates, neceſſe eſt, præmiſſam fuiſſe & illarum doctrinam. Quamobrem Gal. in *de uſ. part.* ſæpe ſe refert ad libb. de Facultatibus & de ſententiis Hipp. & Platonis. Quid dico autem? Cum unaquæque pars, quæ agit, ſit diſſimilaris, ſeu organica, agatq; non quovis modo temperata: plane neceſſarium eſt, prælatum fuiſſe his omnibus lumen, cum ex doctrina de *partibus ſimilaribus*, ſub quibus etiam *Humores* hodie dictos comprehendo, tũ ex doctrina de *Temperamentis*. Hodie quid fit? Unus Anatomicus, cujus unum eſt officium τέμνειν, *ſecare*, quod eſt, ſecando diſtin-
guere

guere à ſe invicem partes, ſubſtantia, ſitu, connexione, figura, aliis differentes, agit iſta omnia. Quare etiam ad cadaver ſuum ſedens tanquam pro tribunali, in trabea paullo minus quam Quirinali, de omnibus dictat ſententias, pertinentibus, non pertinentibus. Et niſi quamplurima dixerit, videtur ſibi parum Anatomicus. O tempora! Voluit iſti malo mederi Excellentiſſimus *D. Hieronymus Fabricius ab Aquæpendente*, Præceptor meus obſervantiſſimus, & adſtrinxit Anatomicum ad tria, ad hiſtoriam, actionem & uſum. Hiſtoria enim, ut dixi, ſola ipſi propria eſt. Reaſſumit tamen illam aliquando is etiam, qui in aliis eſt occupatus, v. g. qui uſum docet, ut exemplo Gal. oſtendi poteſt. Eadem eſt ratio actionis. Hujus filum ſequi velle in negotio de *Cerebro*, animus erat pridem. At vero cum multa ſe mihi objicerent incommoda, heic non dicenda, libuit inſiſtere illi ſoli veſtigio, quod modo titulo impreſſi. Jam enim incipio intelligere, magnam infelicitatis noſtræ partem conſiſtere in eo, quod Ariſt. negligimus. Hinc adeo fit, ut refutare velimus, antequam mentem ipſius penitus perſpe-

perſpexerimus. Et faciunt hoc, non modo ſenes, ſed & pueri prope dixerim alphabetarii. *Quod enim vident facere præceptores ſuos, facere ſe impune poſſe rentur.* Ego vero hoc tantum te moneo, quisquis es, LECTOR, ſi ſolidam vis doctrinam, pete illam ex veteribus. Utut enim plura forte ſcimus in particularibus: in Methodo tamen ſciendi longe longe ſuperamur. Quid ſi dicam, quædam etiam particularia pejus à nobis doceri ob cauſam dictã? Oſtendet id propediem in Homine ſuo Peripatetico Excellentiſſimus *D. Cæſar Cremoninus*, Præceptor & amicus meus obſervandiſſimus, cui vitam & incolumitatem vovemus perpetem, ut ſatis eſſe poſſit laboribus, quos publici boni cauſa ſuſcipit. Ego nunc oſtendam uno ſolo exemplo.

CAP. I.

ERam in Commentariis in libros Gal. *de uſu partium*, perveneramque ad lib. 8. in quo agit de *uſu cerebri* contra Ariſtotelem.

Ibi vero inprimis mirabar & demirabar, potuisse *Naturæ illi Genio* in mentem venire sententiam, ut ille vocat *παντελῶς ἄτοπον*, *omnimode absurdam*, quamque si excutias, revera sit eadem cum illa, quæ *περιττὸς γεγονέναι*, *frustra factum esse* caput cum cerebro dicit. Hanc adeo esse causam *τοῦ περιέχεσθαι ἐν κύκλῳ*, *cur Arist. in circulo se rotet, nullibi firmus in vestigio*, *αἰδούμενος φανερῶς ὁμολογεῖν*, *præ pudore non dicens, quod res est.* Interim *ληρῶν*, *διότι οὐκ ἀληθείας φροντὶς μᾶλλόν ἐστι*, *ἢ ὧν ἔθετο δογμάτων τῆς συνηγορίας*, *nugaris, idque ideo, quod pro defensione dogmatum labores potius, quam pro veritate.* Qui autem id facit, *ὑπερφθέγγεται τὴν ἀλήθειαν, ἀγνοεῖ τὰ φαινόμενα, μὴ πιστεύει ταῖς αἰσθήσεσιν, μὴ πιστεύει τοῖς διὰ τῶν αἰσθήσεων φαινομένοις, ὑπερορᾷ τῶν αἰσθήσεων, οὐ πιστεύει ὀφθαλμοῖς ὁρῶσι, μήτε χερσὶν ἁπτομέναις*, *obloquitur veritati, nescit ea, quæ omnibus liquido apparent, non credit sensibus, non habet fidem iis, quæ in sensus incurrunt, negligit ea, quæ sensus dicunt, quæ oculi vident, quæ manus palpant.* Si hæc non sufficiunt, *μὴ πιστεύει τῇ ἀκολουθίᾳ τῇ κατὰ τὸν λόγον, ἀλλὰ μηδὲ τὸ μαχόμενον αἰδεῖται*, *non credit iis quæ syllogismo concluduntur, quin imo,*

non

non dubitat pugnantia loqui. Quæ legenti mihi ſæpe incidit illud joculare Martialis, *Ohe, jam ſatis eſt! ohe!* Quid enim eſt deſcribere Pyrrhonium quendam, quin imo extreme ineptum, non dico ad intelligendas demonſtrationes, ſed ea etiam, quæ ſenſus communis dictat, ſi hoc non eſt? Qualis ſi Ariſt. fuit, quid ita admiramur illum? quin ſubito deponimus è manibus? Non dubito ego, judicium hoc Gal. peperiſſe in quibuſdam præjudicium tam firmum, ut Ariſtotelem indignum judicarint, quem intuerentur. Ego vero certus, Galenum in non paucis Aſiatico ſuo dicendi genere præſtruxiſſe oculis bonorum, cogitare cœpi, An forte heic quoque fecerit? Nec mora, inquiſivi in loca Philoſophi, viſuſque ſum mihi videre per nebulam, fieri illi injuriam. Conſului ſuper eadem re Averroëm locis illis, quæ mox afferam, manſi in ſententia. Cum ecce commodum ad me mittit Triadem problematum Phyſiologicorum Cl. & Exc. Vir, D.D. *Ioachimus Olhafius*, Dantiſcanus, Gymnaſii patrii Profeſſor, Dominus & amicus meus obſervandus, in quorum primo defendebat, *Cerebrum refrigerandi*

frigerandi cordis gratia factum esse. Lætabar vehementer, invenisse me ὁμόψηφον, adeoque occasionem esse datam mihi videndi, Quid revera sit sentiendum de duello illo, quod inter duos summos viros institutum esset?

CAP. II.

Hoc serio agenti mihi occurrit locus 2. *part.* 7, ubi ait, τὸν ἐγκέφαλον ὑπάρχειν ἐν τοῖς ζώοις πρὸς τὴν τῆς φύσεως ὅλης σωτηρίαν, h. e. *In iis animalibus, in quibus cerebrum est, esse ob conservationem totius naturæ.* Hoc quia opus habebat explicatione, refutat primum (more suo) eos, qui Animam dicebant esse ignem: deinde asserit, Animam uti igne, tanquam instrumento proximo. Quod ipsum ut intelligi posset, ἐπεὶ δὲ, inquit, ἅπαντα δεῖται τῆς ἐναντίας ῥοπῆς, ἵνα τυγχάνῃ τοῦ μετρίου καὶ μέσου, διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν πρὸς τὸν τῆς καρδίας τόπον, καὶ τὴν ἐν αὐτῇ θερμότητα μεμηχάνηται τὸν ἐγκέφαλον ἡ φύσις. Τούτου χάριν ὑπάρχει τοῦτο τὸ μόριον τοῖς ζώοις, τὴν φύσιν ἔχων κοινὴν ὕδατος

καὶ

καὶ γῆς; καὶ διὰ τοῦτο τὰ ἔναιμα ἔχει πάντα
ἐγκέφαλον. τῶν δ' ἄλλων οὐδέν, πλὴν ὅτι
κατὰ τὸ ἀνάλογον, οἷον ὁ πολύπους. ὀλιγό-
θερμα γὰρ πάντα διὰ τὴν ἀναιμίαν. ὁ μὲν
οὖν ἐγκέφαλος εὔκρατον ποιεῖ τὴν ἐν τῇ
καρδίᾳ θερμότητα, καὶ ζέσιν. ἵνα δὲ καὶ τοῦτο
τὸ μόριον τυγχάνῃ μετρίας θερμότητος,
ἀφ' ἑκατέρας τῆς φλεβὸς, τῆς τε μεγάλης καὶ
τῆς καλουμένης ἀορτῆς, τελευτῶσιν αἱ φλέ-
βες εἰς τὴν μήνιγγα, τὴν περὶ τὸν ἐγκέφα-
λον. πρὸς δὲ τὸ τὴν θερμότητα μὴ βλάπτειν,
ἀντὶ μὲν μεγάλων ὀλίγων, πυκναὶ καὶ λεπταὶ
φλέβες περιέχουσιν αὐτόν. ἀντὶ δὲ πολλοῦ καὶ
παχέος αἵματος λεπτὸν καὶ καθαρόν. Quæ
ita accipio ; *Postquam in natura rerum
ita institutum est, ut unumquodque ha-
beat opus contrario momento, quo perve-
niat ad mediocritatem, naturæ cuique
particulari amicam :* Natura heic *quo-
que fuit sui memor, fecitque cerebrum, ut
cor, ejusque calorem attemperet. Propter
hanc causam, cerebrum ipsum substantiæ
est aqueæ & terreæ, frigidæ uno verbo: &
cerebrum habent non nisi sanguinea, ca-
lidiora quippe. Exsanguia autem vel
prorsus non habent, vel proportionatum
quid, ut polypus. Propter enim defectum
sanguinis talia habent parum caloris. Usus
igitur cerebri, in quibus est, propter cor
est,*

est, ut calorem ipsius ad temperiem quandam redigat. Ipsum vero cerebrum ut pariter moderate caleat: ab utraque vena (Cava, inquam, nobis dicta & Aorta) desinunt in meningas cerebri venulæ quædam. Ne vero parti frigidæ noceat vehemens calor, venæ quidem ipsæ non sunt magnæ & paucæ, sed parvæ & multæ, sanguis autem pariter non multus & crassus, seu fibrosus, sed tenuis & purus. Hæc ille. Quæ cum geminum sensum habere possint, quemadmodum etiam ἡ σωτηρία τῆς φύσεως, *conservatio naturæ* est gemina: certamen certatur, De utra sit intelligendum?

Cap. III.

Bonamicus I. *Alim.* 28. & *l.* 3. *c.* 34. *alibi, in eodem opere,* ex Arist. ni fallor, *l. de Somno* 3. docet, Omnem sanguinem, qui nutrire debeat, necesse habere ascendere ad caput, ibique contemperari ita, ut nutritioni aptus esse possit. Quam autem nutritio sit necessaria περὶ τὴν τῆς φύ-

σεως σωτηρίαν, ſi non aliunde conſtat ex his Philoſophi verbis 3. *de Anima* 12. conſtare poteſt. τὴν θρεπτικὴν ψυχὴν, inquit, ἀνάγκη πᾶν ἔχειν, ὅ, τι περ ἂν ζῇ, καὶ ψυχὴν ἔχει ἀπὸ γενέσεως μέχρι φθορᾶς. ἀνάγκη γὰρ τὸ γενόμενον αὔξησιν ἔχειν ἀδυνάτον. h. e. *quidquid vivit*, *&* *animam habet*, *neceſſe eſt habeat animam nutritivam*, *à prima generatione uſque ad interitum. Quod enim genitum eſt, neceſſario augetur, creſcit & decreſcit. Nihil vero horum abſque alimento fieri poteſt.* Verum cum nutriantur etiam illa, quæ cerebrum tamen non habent, ut ἄναιμα, *exſanguia* pleraque; nutritionis autem ratio in omnibus animalibus (ne de plantis quidquam dicam) debeat eſſe eadem: non videtur mihi loqui Ariſt. de hac animalis conſervatione. Nec eſt, quod dicas mihi, *In ſanguineis hanc peculiarem eſſe rationem, quod ſanguis ipſorum plane indigeat refrigeratione.* Indiget enim prorſus, quare etiã ſola ſanguinea reſpirant. Quod ſi Ariſt. huc iiſſet, jure ipſi objeciſſet Gal. Fuiſſe ſui immemorem. Qui enim reſpirationem dixerat refrigerandi cordis, & qui in corde continetur ſanguinis ergo inſtitutum fuiſſe: quomodo eidem

eidem aliam rurſus refrigerationem dare poterat? Et docui ego alibi, Reſpirationem & pulſum, aut, ut cum Galeno loquar, facultatem vitalem nihil eſſe aliud, quam vigorem facultatis nutritivæ. Talis enim & tantus cum ſit calor, ut motu ſe prodat: oportet etiam habeat exitum aliquem, per quem deponat excrementa ſua; ne ab iis ſuffocetur. Quod ad ſomnum, putat Ariſt. in lib. ei dicato, fieri non poſſe, niſi refrigerato primo ſenſorio, quod cor eſt. Quare vult, Alimentum evaporare ſurſum, & relabi deinde ad cor, itaque refrigerari. Ego vero hactenus puto, Non opus eſſe refrigerari primum ſenſorium, ut ratio reddi poſſit quietis ſenſuum. Satis enim eſt refrigerari ſecundum, ſeu cerebrum, quod eſt, ut ex Averroë dicetur, cauſa ſine qua non.

CAP. IV.

Reſtat igitur altera τῆς φύσεως σωτηρία, quæ in ſenſu eſt. Hæc enim tam eſt neceſſaria animalis, ut eſſentiam ipſius conſtituat.

ζῶον ἐστι κατὰ τὸ μόριον τῆς ψυχῆς τὸ αἰσθητικὸν, h. e. *animal est per partem animæ sensitivam*, inquit 2. *Gen*. 3. τῷ αἰσθάνεσθαι τὸ ζῶον πρὸς τὸ μὴ ζῶον διορίζομεν, h.e. *sensu distinguimus animal à non animali*, inquit iterum *de Iuv*.1. De hoc ista sunt Averrois, *paraphr. in d. l. Arist.* Cum cerebrum sit gratia alicujus operationis, ut supponitur, cum eo, quod ex Anatomia habetur, & ex multis morbis, in quibus læditur sensus & motus ad læsionem cerebri, incolumesq; redduntur, ejusque sanitate redintegrata: oportet aliquid faciat ad sensum & motum. Non quod sit principium sensus & motus, ut Gal. dixit: sed quod aliquid faciat ad sensum & motum, nō tamen sit ejus caussa prima. Licet enim verum sit, *Cerebrum esse propter aliquam operationem*; licet etiam verum sit, *Cerebrum esse propter sensum & motum:* non subito tamen sequitur, Ergo est, ut causa prima, propinqua, per se. Potest enim esse secundaria quædam & remota, eaque per accidens. Si igitur cerebrum aliquid facit ad sensum & motum, ut facit: faciet trium horum modorum aliquo. *Aut* ut prima causa, ita ut non indigeat ulla alia parte, quidquam

quam contribuente, quæ eadem erit causa per se: *Aut* ut secunda, ita ut indigeat alia parte, quæ erit causa per accidens. *Rursus*, Causa hæc secundaria, aut habebit super alias partes principatum aliquem, aut non habebit. *Quo ergo modo cerebrum est causa sensus & motus*? Non ut prima causa: non enim habet in se calorem, qui est primum animæ instrumentum. Ergo ut secunda: accipit enim à corde calorem, quem in substantia sua frigida & áquea ita contemperat, ut fiat proportionatus huic actioni. Non enim à quocunque calore fit quævis actio, sed à mensurato in qualitate & quantitate. *Facit igitur cerebrum ad sensum & motum: verum non prima intentione, & per se, sed secunda & per accidens.* Quia enim frigidum est; frigiditas autem non nisi ex accidente est activa, ut 4. *Meteor*. 5. docet Philosophus: patet, cur dicatur ex accidenti conferre ad sensum & motum. Verum quid sit de altero membro? Habetne cerebrum principatum aliquem? Habet omnino, quia per nervos transmittit reliquis partibus sentientibus & moventibus calorem hoc modo attemperatum. Et hoc Aristot. concedit de tri-

bus tantum ſenſibus, non autem de guſtu & tactu. Tactus enim, ut tactus, non indiget membro officiali, niſi nobilioris notæ gratia. Quod ſi Gal. & qui illum ſecuti ſunt, aliquid amplius vidit in Anatomia, confirmat potius, quam refutat ſententiam Ariſtotelis, quæ vera eſt demonſtratio, &c. Idem Averroës *in 2. part. 10, Tres ſenſus,* inquit, *Viſus, Auditus & Olfactus locum obtinent in capite animalis ſanguinei: quia eorum operatio eſt ſubtilior & clarior ob membri hujus frigiditatem, paucitatemque caloris. Calor enim ſanguinis impedit operationem ſenſuum, ideo non habent ſanguinem, &c.*

CAP. V.

Cæterum, idem Averroës 2. *Collig.* 11. *Manifeſtum eſt,* inquit, ex Anatomia, nec diffitetur Gal. aliique Anatomici, *multas venas & arterias mitti à corde ad cerebrum.* Unde accipitur prima probatio, quod cerebrum indiget corde ad edendum ſenſum & motum. *Si dicis,* Venas & arte-

rias

rias mitti ad cerebrum propter nutritionem ejus: dicam ego, ſequi hoc abſurdum, quod cor ſit factum propter cerebrum. At contra ſe habet res: *Virtus*, enim *nutritiva* eſt data animalibus propter ſenſus, non ſenſus propter virtutem nutritivam. Quare ſequitur, quod *virtus ſenſitiva* primo & principaliter eſt in corde. *Si quæris*, Unde ſciri poſſit, quod cor ſit dator cerebro caloris menſurati in quantitate & qualitate, ſecundum quod convenit unicuique ſenſui: *reſpondemus*, Ratione debita fit, quod non cum omni calore fit quælibet actio. Quia calor, cum quo operatur virtus nutritiva, non eſt ille calor, cum quo operatur virtus ſenſitiva. Et hoc apparet in dormiente & vigilante: videmus enim, quod operatio virtutis nutritivæ eſt fortior cum dormimus, & tunc ſenſus non eſt in actu, &c. Et poſt aliquã multas lineas. Poſtquam declaratum eſt, quod *cerebrum eſt ſerviens cordis*, dando ei virtutes ſenſibiles per modum, quem dat Camerarius regi, ut impleat voluntates ſuas, quamvis rex det ei illam virtutem, per quam agit: neceſſe eſt deinceps ſcire, *Quæ ſit via, per quam ſervit cerebrum*

 cordi,

cordi? Attemperando calorem ejus. Quia enim non in qualibet mensura caloris completur actio quælibet; cerebrum autem ad actiones suas non indiget calore forti, qualis cordis est: debuit utique cerebrum hoc facere. Quod cerebrum non indigeat forti calore, ostendunt φαινόμενα, quibus docemur, fortem calorem prohibere apprehensionem sensibilium externorum. Homines enim qui calidioris sunt cerebri; item in affectibus cerebri calidis, putant se audire & videre, quæ non sunt. Quia igitur cor est in fine caloris, fuit contra illud ordinatum ex opposito cerebrum ad contemperandum calorem ipsius, ut sensus possit apprehendere perfecte. Nec fuit possibile, ponere hanc eandem frigiditatem in corde à principio creationis, quia essent diminutæ operationes nutrimenti diminutione manifesta, &c. Huc tendunt, quæ Conciliator docet *differ.* 38. Turrisanus, *Com. in Art. Gal.* Zabar. *l. de Partit. animæ, c.9.* aliique, In *corde* omnes virtutes esse radicaliter: sed manifestative in *Cerebro* quidem animalem, in *Hepate* autem naturalem. Iidem quia utuntur exemplo regis, & mini-
stro-

ſtrorum ſuorum, libet mihi hoc addere. Magna eſt ſimilitudo œconomiæ corporis humani cum œconomia politica, unde etiam Ariſt. comparat *l. de Anim. com. mot. 9.* Ibi igitur quemadmodum actioni dat formam, non miniſter, qui efficit imperium, ſed imperans: ita heic. Cancellarius v. g. agit mandato regis ſui. Ab utro accipit actio formam? Certe à rege. Ita cerebrum agit, ſed vi & efficacia à corde tranſmiſſa. Cordi ergo non debeatur principatus? Verum, hæc alius ſunt loci, & pertinent huc tantum, quatenus Cerebrum eſt miniſtrum cordis in exſequendis actionibus ſenſibilibus & mobilibus.

CAP. VI.

ET propius veniam ad homines noſtros, Zabarella loco jam citato ait, *Cerebri officium eſt, calorem ſpirituum moderari cognitionis gratia, & hanc ob cauſam factum eſt à natura frigidum, & tantæ molis*, &c. quæ vide. Capivaccius, *Meth. Anat. c. 23.*

Voluit Ariſtoteles, Cerebrum frigiditate ſua in cordis calorem igneum agere, dum verum quidem ſpiritum vitalem, non quidem in corde exſiſtentem, ſed jam deductum in cerebrum, ita moderatur & attemperat, ut eum in animalem convertat, actione per contactum, &c. Claudinus *in Quæſt. de ſede facc. principum*, Generatio ſpiritus animalis eſt præcipua cerebri actio, intellige, gratia vitæ conſiderati. Id quod puto cognoviſſe etiam Ariſtotelem, dum aſſeruit, *Cerebrum eſſe genitum ad ſalutem naturæ*, h.e. gratia vitæ, quoniam ſua frigiditate contemperat calorem igneum cordis, eo, quod perfectio conſiſtit in mediocritate, & propter hoc operatio quælibet à mediocri calore fieri debet, &c. Tres Italos excipiant tres Germani, Langius 1. *Epiſt.* 54. Cum in Macrocoſmo terra ſolis calore ſiccata & calefacta, &c. Natura in Microcoſmo quoque in capite cerebrum frigidum, veluti Lunam, in ſublimi collocavit, ut alteratis ſuo frigore ſpiritibus per arterias cordis, fervorem illius temperant. Horſtius noſter *l.1. de Nat. hum. Ex.9. quæſt.12.* Cerebrum cordis calorem temperat, quatenus cordis

cordis calidiſſimos ſpiritus, per arterias carotides attractos, refrigerat, & ad ſenſum motumque aptos reddit. Olhafius noſter, *Probl. laudato, θ.4. & 5.* Cum calor perficiendis animæ muneribus in corpore animalis quam maxime inſerviat, ideoque omnia animalia calorem aliquem participent: haud ſane quivis caloris gradus indeterminatus ad quaslibet actiones idoneus eſt, & inprimis ad ſenſationem, intellectui inſervientem ineptus videtur eſſe calor excedens in corde, ſeu potius ſpiritus, calore excedente præditus. Hac itaque de cauſa cerebrum à Natura condendum erat frigidius, ut ejus beneficio ſpiritus, qui circa locum cordis eſt fervidior, in eo nonnihil attemperaretur, ſicque ad actiones animalis perficiendas habilior redderetur. Quin ulterius procedit idem Olhafius, quo mihi etiam maxime inclinat animus, *Ariſtoteles*, inquit, *aſſerens, cerebrum conditum eſſe ad cordis fervorem temperandum, non diſſentit à Medicis, qui ſtatuunt, cerebrum eſſe in gratiam producendi ſpiritus animalis.*

CAP.

CAP. VII.

SI dubitas forte, ſitne hæc genuina Philoſophi mens, conſidera, quæ poſt alia omnia 2. *part.* 7. ait: τὸ ἐν καρδίᾳ θερμὸν, καὶ ἡ ἀρχὴ συμπαθέστατόν ἐστι, καὶ ταχεῖαν ποιεῖται τὴν αἴσθησιν, μεταβαλόντος τε καὶ πάσχοντος τοῦ περὶ τὸν ἐγκέφαλον αἵματος, h.e. *Calidum, quod in corde ſtabulatur, & principium facilime ſibi conſentiunt, hinc fit, ut ſubito fiat ſenſatio mutato & alterato ſanguine cerebri.* Hæc dum diligenter intueor, & quæro, quæ ſint illa duo, inter quæ ait eſſe συμπάθειαν, non habeo, ubi me firmem. *Calidum* enim *nativum* quid ſit, ſcio: at *principiū* quod velit, neſcio. Quod ſi calidum nativum dicit principium, ut revera dici poteſt, jam non ſunt duo diverſa. Differunt enim λόγῳ tantum, non reipſa. An igitur legendum eſt, ἀντὶ τῆς ἀρχῆ, κεφαλὴ, ut ſit ſenſus, Inter calidum cordis nativum & caput magnam eſſe συμπάθειαν, adeo ut calidum illud ſubito ſentiat, ſi alteratus tantum ſit ſanguis, è corde in cerebrum translatus? Ita deniq; planiſſimum ſenſum habebunt,

quæ

quæ porro dicuntur c. 10. ἐκκόπτει ἡ τοῦ ἐν τῷ αἵματι θερμότητος κίνησις τὴν αἰσθητικὴν ἐνέργειαν. Διὰ ταύτας τὰς αἰτίας ἐν τῇ κεφαλῇ τούτων τὰ αἰσθητήριά ἐστιν, Hunc nimirum, *Quia fervor ſanguinis circa cor obtundit vim ſenſificam: ideo in capite ſunt ſenſoria.* Ad hæc loca ſe referens 4. *part.* 10. ἐξέθετο, inquit, ἡ φύσις ἐν κεφαλῇ καὶ τῶν αἰσθήσεων ἐνίας, διὰ τὸ σύμμετρον εἶναι, τὴν τοῦ αἵματος κράσιν, καὶ ἐπιτηδείαν, πρός τε τὴν τοῦ ἐγκεφάλου ἀλέαν, καὶ πρὸς τὴν τῶν αἰσθήσεων ἡσυχίαν καὶ ἀκρίβειαν, h. e. *Natura in capite poſuit ſenſus quoſdam, quod temperies ſanguinis ibi ſit moderata, & apta, cum ad conſervandam cerebri naturalem teporem, tum ad ſenſuũ quietem & accurationem.* Hęc niſi fallor, planiſſime loquuntur cordis & cerebri συμπάθειαν, tum vero inprimis refrigerium illud, de quo cum Averroë loquuntur illi, quos nominavi.

Cap. VIII.

Age vero videamus, *An id ipſum quoque reſpondeat* τοῖς φαινομένοις? An non eſt ita, *Calidi & bilioſi* ſunt præcipites in omnibus actionibus ſuis? Hinc 2. *part.* 2. & 4. ait

Ariſt.

Ariſt. *Senſum mobiliorem habent, quorum ſanguis tenuior & purior eſt.* Hinc inconſtantia adoleſcentum propria eſt. Valde enim volunt, & valde nolunt, dicebat Scherbius. Hinc iidem in perſequendis injuriis tam ſunt acres. Eſt autem in his tanto major agitatio, quo humidius habent cerebrum. Ut enim Ariſt. ait *in fine l. de Memor. Maxime turbulenti ſunt, quibus forte multa humiditas circa locum ſenſitivum. Illa enim ſemel mota non facile deſidet, uſque dum habet, quod vult,* &c. Contra, *αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη, anima ſicca ſapientior*, ut habet Heracliti dictum apud Gal. 1. *Quod animi mores*, 5. Sicca autem cum ſit melancholia, plerique Melancholici vel in ſtudiis Philoſophiæ, vel in Rep. adminiſtranda, vel in Carmine pangendo, vel in artibus exercendis præſtantes ſunt, ut ſcribit Ariſtot. 30. *Probl.* Hinc Melancholia morbus apud Gellium *l.* 18. *c.* 7. à Phavorino dicitur *πάθος ἡρωϊκὸν, morbus heroicus.* Eſt autem eadem melancholia frigida, ut iterum Ariſt. *l. de Somno*, 3. Frigus enim, ait Zabarella loco nuper citato, ſtabilitatem facit, calor autem agitationem & mobilitatem, quæ cognitionem

nem perturbat. Oportet autem frigiditas & ſiccitas in certis terminis ſit. Niſi enim id ſit, hominem reddit ſomnolentum, & ad omnia ineptum. Rem ita ſe habere, oſtendunt etiam ſtatus quidam præter naturam. An non, cum quibuſdam incaluit cerebrum ex vino, fiunt illi temerarii, & tantum non furioſi? Quod enim tauris, apris, aliis animalibus ex natura ſanguinis eſt, *2. part. 4.* id accidit his ex eventu. Ita in phrenitide, aliiſque morbis cerebri calidis homines fiunt prorſus truculenti. Calor enim quo major eo majorem facit agitationem, quæ ſenſus omnes turbat. Nimirum, cognitio & ratiocinatio & ſenſio pro motibus haberi non debent, cum certæ & ſtabiles debeant eſſe omnes notitiæ & apprehenſiones, cum pro inſanis habeantur, qui turbulentis rationibus aut ſenſionibus vexantur, ut loquitur Schegkius *l. de Spiritu anim. c.* 3. quem vide.

CAP. IX.

Conſtat ex his, niſi me ipſum decipio, explicationem Averrois conſentire non Ariſt. tantum, ſed rebus etiam ipſis.

Consequens est, ut doceam, *Refrigerationem hanc Aristotelicam esse eandem cum generatione spirituum Galenica.* Quod antequam fiat, dicere oportet quædam in universum, Quatenus partes corporis se invicem alterare possint? Ubi illud ab initio præmonendum est, Alterationem hanc esse, aut inter ipsas partes solidas, aut inter solidas & liquidas, quo nomine comprehendo Spiritus & Humores Medicis dictos. De *alteratione solidarum* satisfacit mihi Th. à Veiga, *Com. in Art. c.* 41. Est enim illa aut positiva aut privativa. Et positiva rursus, aut fiens aut facta. De *alteratione positiva fiente* certa res est. Omnes enim partes, quamvis temperamento frigidas, calere tamen à corde, nemo dubitat. De *alteratione positiva facta* dubia prorsus res est. Cum enim, ceu jam dictum est, calor cordis æquabiliter influat in omnes, cũ quælibet illarum formam suam nativam non deponat, quamdiu in latitudine sanitatis est; cum quælibet etiam servetur talis, alimento simili affluente semper: quis credat, posse unam ab alia in contrarium alterari? De *alteratione privativa*, res itidem certa est.

Hoc

Hoc enim modo cor, inquit à Veiga, ſuo calore privative contra operatur cerebro, non calorẽ in illud inducens, ſed prohibens, ne cerebrum præ frigiditate concreſcat. Sic cerebrum, licet cordis calorem actu & opere non minuat, temperetque: tamen prohibet, ne excandeſcat & uratur. Hæc ille de alteratione ſolidorum inter ſe. *Vnde ego ſic infero*. Si ſolida à ſolidis alterari poſſunt, ut manifeſta fiat qualitatis impreſſio: quanto magis liquida à ſolidis? Hinc deduco *geminam* ſpiritus animalis in cerebro *alterationem*, quam Olhafius noſter docet. *Poſitiva* eſt, reſpectu totius ſpiritus, è corde una cum ſanguine aſcendentis. Cum enim contineat is in ſe partes terreſtres multas, quas fuliginoſas dicere ſolemus, niſi cerebri ſubſtantia frigida exprimeret illas, perque ſuturas calvariæ vacuaret, nunquam ſpiritus ille fieret aptus edendis ſenſibus. Quamdiu enim fuligines illas habet, tamdiu agitatur & fervet. *Privativa* eſt reſpectu partis jam depuratæ. Cum enim jam ſatis depurata ſit, niſi ſubſtantia aliqua frigida cohiberet illam, magis & magis rarefieret, itaque tandem evaneſceret, non

ſecus

ſecus ac ſpiritus vini, loco calidiore aſſervatus. Hæc doctrina eſt Gal. 8. *Vſ. part.*12. Cum enim, ait, *Spiritibus vitalibus* (ſermonem communem particulari licet adſtringere) *multum ineſſe excrementi, quod ſeparari neceſſe ſit & excerni:* intelligit, mea opinione, alterationem poſitivam. Cum addit, *Vtile, quod reliquum eſt, convenientem qualitatem adipiſci:* privativam. Jam igitur ſi ſit quæſtio, *Quomodo è ſpiritu vitali fiat animalis?* non opus eſt ambagibus, à tota ſubſtantia cerebri deſumtis, à proprietate temperamenti, à forma ſubſtantiali, ab aliis. Poſſumus enim planiſſime reſpondere, *Fit refrigeratione.* Eſt enim frigidior vitali, teſte uno inſtar multorũ Th. à Veiga, *Com. in* 1. *de diff. febr.*6. apertius *Com. in Artem c.*10. & 28. & 41. à quo ſenſu non abeſt Avicenna *l.*3. *Com. f.* 1.*t.*1.*c.*2.

CAP. X.

Hæc res ut melius intelligatur, libet mihi pauca interſpergere *de ſpiritibus.* Recte docent Philoſophi, *unum* tantum eſſe ſpi-

ſe ſpiritum, qui tamen inſerviat pluribus actionibus, inſtar mallei, quo exẽplo utitur Philoſophus 5. *Gen. ult. pene verbis*. Recte etiam docent Medici, *triplicem* eſſe ſpiritum pro numero triũ partium principum. Nimirum, Medici non ſemper reſpiciunt ad *τὸ ἀληθὲς φιλοσοφικὸν, ad veritatem philoſophicam*, ſed, prout exigit uſus, ita vel dilatant vel contrahunt res. Quod enim in veſtibulo dixi, *Artes pendent ab uſu*, h. e. omnia referunt ad uſum, omnia metiuntur uſu adeo, ut, licet in natura rerum aliter ſe habeat, uſus tamen permittat ita loqui. Hanc autem prærogativam dat ei indigentia humana, quę artes invenit. Uſus ergo quando ita poſtulat, dicunt differre quæ revera nõ differunt, dictum puta, dicunt differre ſpecie, quæ forte differunt tantum in eo, quod ſecundum magis & minus, aut quæ differunt ſubjecto, ut heic. *Spiritus* in corpore humano non differunt ſpecie, quia non ſunt *ἄλλοι* ſed *ἀλλοῖοι* : Medicus tamen dicit differre ſpecie, quia ſerviunt ſpecie differentibus actionibus. At unde eſt illa differentia? Cum enim (qua ſimilitudine utitur Ariſtoteles, loco nuperrime dicto) malleus,

quo

quo utitur faber, ad complanandum & figurandum ferrum, ſit idem cum eo, quo utitur ad infigendum parieti clavum: cur ſpiritus differunt? Incomparabilem Scherbium memini nos docere (an ex Averroë 2.*Collig*.21?) *ſubjecto* differre, in quo recipiuntur, h.e. non *ſpecie*, ſeu, quod idem eſt, forma, ſed fundamento formæ, atque ita declarare. *Subjectum*, de quo loquor, nihil eſt aliud, quam modus ſubſtantiæ, à Medicis dictus, h.e. apparatus materiæ, huic parti proprius, quem ſubito ſequuntur qualitates ſecundæ & tertiæ, raritas *v.g.* denſitas, mollities, durities, &c. Hoc exemplo oſtendatur. Ignis alius eſt in ligno, alius in carbone, & rurſus alius in hoc vel illo, quam differentiam norunt fabri metallarii, alius in ferro, alius in corticibus coriariorum, alius in terra illa bituminoſa, quam *Dorff* vocant Belgæ, alius in ſtramine, alius in palea, alius in aqua ardenti. Unde hoc eſt? A *modo ſubſtantiæ* cujuſque rei, quæ ignem concipit. Ita ſpiritus vel calor à corde emiſſus ad hepar, fit ibi alius, ad cerebrum, fit ibi alius, ad uterum, fit ibi alius, & ſic de aliis: *Rurſus.* quemadmodum unius

unius rei calor eſt varius pro varietate partium ipſius, *v.g.* lactis calor eſt alius, prout prædominatur pars butyroſa, caſeoſa, ſeroſa: ita calor in hoc corde eſt alius, quam in illo. Eſt autem diverſitas hæc vel in individuis, vel in ſpeciebus. Cur n. ego concoquere non poſſum, quod tu potes? Cur homo concoquere non poteſt, quod equus, bos, canis, ciconia, paſſer? *Rurſus*, quemadmodum unius rei calor eſt alius, pro diverſitate aëris, aut aliarum rerum circumſtantium: ita partium calor fit alius, prout accubant illi partes vel calidæ vel frigidæ. *Ad rem noſtram.* Calor ſeu ſpiritus, à corde in cerebrum emiſſus, fit ibi alius: quia ſubjectum habet aliud. Uno verbo fit frigidior, à ſubjecto frigido. Idem ſpiritus fertur poſtea per nervos, qui ſunt ejuſdem cum cerebro ſubſtantiæ. Hinc niſi erto, fit probabilior refrigeratio peripatetica.

Cap. XI.

Ergone, dicet mihi aliquis, *litem tu illam facis tuam, quam nulla hactenus ſecula dirimere potuerunt*,

runt, ut loquitur vir quidam magnus? Ego vero, ô præſtantiſſime, video illam ſolutam ante aliquot ſecula. Quæ res ſi tibi ignota, non propterea etiam aliis. Ita autem breviter habet. Medicus non habet *ſubjectum demonſtrationis*, quod eſt, non intuetur eſſentiam rei, ut ſcientificus: ſed habet *ſubjectum operationis*, quod eſt, vult inducere in hominem ſanitatem. Hinc fit, ut licet veriſſimum ſit, Cor eſſe τὸ πρῶτον αἰσθητικὸν, *primum ſenſorium*. Cerebrum, non niſi δεύτερον, *ſecundum*: dicat tamen audacter, Cerebrum eſt primum ſenſorium, quia ex illo prodeunt omnes ſenſus, & læſis ſenſibus applicat Cerebro remedium. Hinc dabo tibi reſponſiones (quamvis alio properem) ad difficultates, ad quas tibi reſpondere erat impoſſibile.

1. Ubi natura conſtituit ſenſus inſtrumenta, ibi quoque facultatem ſentiendi poſuit, At in cerebro conſtituit nervos. *Reſp.* ita eſt: ſed non primo. *Nervi* enim illi nihil poſſunt, niſi à cerebro accipiant vim, quæ porro illam è corde petit. Hinc Gal. ipſe *ſpiritum vitalem* vocat οἰκείαν τροφὴν *proprium alimentum* animalis. Si igitur cerebrum abſque

corde

corde non ſentit: Cerebrum non eſt principium primum ſenſus, ſed ὄργανον ἐπιδηλώσεως tantum, *officina, ubi ſe prodit ſenſus*, ut Peripatetici quidam loquuntur, *ex* 3. *part*.10. ut puto, cum è corde non poſſet, ob cauſam ab Averroë ſupra dictam. In *corde* naſcitur *ſenſus*, inquit Plinius *l*.11. *c*.37. huc ſub.8. Vide, ſi placet, Avicennã *l*.1. *doctr*.6.*c*.1.

2. Somnus eſt ligamentum ſenſus, At in ſomno cerebrum ligatur, nõ cor. *Reſpondi* ego jam ſupra c. 4.

3. Sæpe ita vulneratur thorax, ut cor poſſit videri, & tamen aliquantiſper vivit homo. *Adde*, ſi ita vis, Etiam exemto corde vivunt aliquandiu animalia, & vide quid reſpondeat Horſtius meus, *l*.2. *Nat. hum. Ex*.5.*quæſt*.1. propter virtutem jam communicatam.

4. *Sentire* eſt pati, ſecundum Ariſt. At cerebrum, quod molle eſt, facilius patitur, quam cor, quod durum eſt. *Concedo* totum.

5. In cerebro eſt ſanguis frigidior & tenuior, Ergo eſt aptius ad ſenſum. *Ago gratias*.

6. Non delirat animal, niſi affecto cerebro. Jam *reſpondi*, quemadmodum etiam ad ſeptimum.

Audia-

Audiamus vero etiam *responsiones* ipsius ad argumenta Peripateticorum quædam. 1. Plane deceptus fuit Aristoteles, cum nervos è corde deduxit. Ego ostendi alibi, non plane fuisse deceptum. Nervi enim facti sunt ex venis & arteriis, quæ è corde ascenderunt in cerebrum. Hinc adeo illa continuitas est cordis cum cerebro, totoque genere nervoso. 2. Languida est ratio, quæ à situ cordis petitur. Nā ipse alias Deum in orbe supremo collocat. *Resp.* Simile non probat, sed declarat. 3. Licet concedatur, cor esse primum principium movens: non tamen est principium motus voluntarii. Naturalis enim est motus cordis. Imo vero est principium motus voluntarii, quatenus illo suo motu suppeditat cerebro materiam. Hinc corde quiescente, quiescunt omnia. Vide Schegk. *lib. cit. c.2. initio.* 4. Licet cerebrum actu non sentiat: potentia tamen sentit. Recte, sed ad regulam non recte. Topicum enim est, Qualis causa, talis effectus. Sol calefacit, & calidus tamen non est. 5. Astutia est Averrois, cum 2. *Coll.* spiritum moventem deducit è corde. Imo vero calumnia hæc est in Averroëm, qui ita expli-

explicuit negotium, ut rei natura jubet. Pervetus igitur est conciliatio, vel ideo acceptabilis, quia ex illa respondere licet ad omnes difficultates.

CAP. XII.

Acceptarem, *dicat aliquis* cum Conimbris, *Com. in 3. de Anima, 2. quæst. 2. art. 2.* si Aristotelis hic sensus esset, quem tu illi tribuis. At eum non remotum, sed proximum sentiendi ac movendi principium in corde collocasse, & uni principi membro, tanquam regi, totius corporis administrationem, & quasi monarchiam simpliciter detulisse, facile judicabit, qui inspexerit hæc loca, *de Juv. 2. 2. part. 1. & 10. 3. Part. 4. 4. part. 10. de sensu, 2. de Somno, 2. de Anim. Com. mot. 9.* Ego vero, ô viri reverendi, inspexi loca, & non superficiarie, ut mihi persuadeo, & cognovi, non prorsus ita se habere, ut vos dicitis. Cum enim Philosophus appellet ibi cor *αἰσθητήριον πρῶτον καὶ κύριον, sensorium primum*

 mum

mum & proprium; primum autem & proprium ſit τῶν πρός τι: utique oportet ſit ſenſorium aliquod δεύτερον καὶ ἄκυρον, *ſecundarium, & minus proprie dictum.* Id vero eſt Cerebrum. *Si inſtiteris*, Non cerebrum, ſed oculos, aures, nares, forte etiam linguam eſſe apud Ariſtot. ſecundaria illa ſenſoria: jubebo te in memoriam revocare loca illa, quæ ſupra ſunt allata, quibus cerebro tribuebatur cauſa τῆς ἡσυχίας καὶ ἀκριβείας τῶν αἰσθήσεων, *quietis & præſtantiæ ſenſuum.* Unde ſic infero, Si ſenſus abſque cerebro non fiunt, adeoque cerebrum eſt cauſa ſine qua non fit ſenſus, ut ex Averroë docui: quo modo cerebrum non eſt ſenſorium ſecundarium? etiam de mente Ariſtotelis? Inſurgat forte Argentarius aliquis, & dicat, Quomodo? cum ipſe dicat. 2. *part.* 7. τὸν ἐγκέφαλον οὐκ ἔχειν συνέχειαν οὐδεμίαν πρὸς τὰ αἰσθητικὰ μόρια, *cerebrum nullatenus eſſe continuum cum partibus ſenſibilibus.* Augeat idem difficultatem ex *c.* 10. *ſeq.* obiiciatque illi contradictionis turpitudinem, quod dicat, O*culos & aures eſſe* ἐν τῇ κεφαλῇ, *in capite,* quod ſenſuum omnium ſint ἀκριβέστατοι, *accuratiſſimi*, quo ipſi requirunt

αἷμα

αἷμα καθαρώτερον, *ſanguinem puriorem*. Sanguis enim cerebri, ſecundũ ipſum, eſt λεπτὸς καὶ καθαρὸς, *tenuis & purus*, 2.*part*.7. *de Senſu*,5. quin λεπτότατος καὶ καθαρώτατος, *tenuiſſimus & puriſſimus*, *de Somn* 3. Reſpondeo, oportet diſtinguere τὸν ἐγκέφαλον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, *cerebrum à capite*: & nulla erit contradictio. Hoc enim vult Ariſtoteles, Pori oculorum & aurium eunt quidem introrſum: ſed cerebrum non contingunt. συμπεραίνοντες περὶ τὰ φλεβία, τὰ περὶ τὸν ἐγκέφαλον, γίνονται ἀπὸ τῆς καρδίας. inquit 2.*Gen*.6. Sed hoc ex hypotheſi: non ex rei veritate. Quod enim ſupra dixi ex Averroë, Quod Ariſt. fuit Anatomiæ imperitior, non debet ſervire nobis ad evertendas ſententias ipſius, ſed confirmandas. Quamobrem, quia ſcimus, *Cerebrum revera* (mediantibus nervis hodie dictis) *eſſe continuum, non cum oculis & auribus tantum, ſed cum reliquis etiam ſenſoriis*; quia etiam ſcimus, *refrigerationem Ariſtotelicam coincidere cum generatione ſpirituum Galenica*: faciles eſſe debemus in his. Artes enim ſunt ut numeri, qui ſubinde fiunt auctiores novis additionibus. Quod ſi Ariſt. ſciviſſet, quæ nos hodie ſcimus,

procul omni dubio idem de ſenſoriis docuiſſet, quæ nos. Nimirum, ſi de principio ſentiendi remoto (verba ſunt Conimbricenſium, loco jam citato) ſit ſermo, id haud dubie *cordi* adſcribendum eſt, cum in eo vigeat nativi caloris officina, in eodemque procreentur ſpiritus vitales, ſine quorum ope, nec ullus motus edi, nec ulla internorum, externorumve ſenſuum functio obiri poteſt. In eandem ſententiam verba ſunt Toleti, *Com. in eundem 3. de Anima,2. t.149. quæſt.5.* Cor eſt rex & principium omnium operationum animalis, tam motus, quam ſenſus. Et hac ratione caloris naturalis, qui omnia in ſuis operationibus diſponit & conſervat, & ratione ipſius fiunt ſpiritus motivi & ſenſitivi poſtea in cerebro. Et ob id omnia ei (*cordi*) tribuuntur, ut universali principio, non tamen eſt proximum operans in ſenſu & motu voluntario, ſed cerebrum. *Et poſt pauca.* Dicit Ariſtoteles (ita enim ſcribendum eſt) quod frigiditas cerebri eſt ad temperandos ſpiritus ſenſitivos. Si enim multum calidi ſint & mobiles, erunt inepti ad ſenſum. Temperantur ergo à cerebro. Unde quamvis cor ſit radix ſpiri-

ſpirituum vitalium: non ſunt tamen ſenſitivi, niſi à cerebro temperentur. Huc quoque tendunt doctiſſimi à Veiga *Com. in Art.c.*10. verba: *Cur*, inquit, *ita ſunt diſpoſiti tres ventres? Sane id decuit multis de cauſis. Primum, oportebat plurimum ſeparari vim cogitantem ab alimenti officinis. Crebri enim alimenti halitus interturbant intelligentiam. Eo fit, ut venter craſſus non gignat tenuem mentem, & pueri ob immodicum alimenti motum ſapientia inepti ſunt. Accedit & cauſa altera, Calor multus ſpiritalium neceſſarius eſt ad opera utriuſque facultatis, animalis & naturalis, &c.* Locus, quem citat idem *ex 7. Phyſ.3. t.20.* eſt, τῷ ἠρεμήσαι καὶ στῆναι ἡ διάνοια ἐπίσταται καὶ φρονεῖ, *Sedendo anima fit ſapiens, vulgo dicitur.*

CAP. XIII.

His ita explicatis & confirmatis, reſtat denique *ut examinem ea,* quæ Gal. *Vſ. part.* ut dixi, contra Ariſtotelem affert, *argumenta.* Li-

cet autem ex iis, quæ allata ſunt, non difficile ſit illis ſatisfacere: tamen ſilentio præterire non licet, ne vel contemtu, vel ſolutionis inopia brevitatem ſecutus videri poſſim, ut de Chryſippi argutiis loquitur Gal. 4. *Sent. Hipp*.1. Vel ideo, quia Argenterio *l*.2. *de Somno*,2. item *Com. in Art*.2. *c*.9. Piccolhomino 5. *Prælect. Anat*.7.& Laurentio 4. *Anat. quæſt*.3. digna viſa ſunt, quæ denuo nobis occentarent, additis ſubinde tubicinibus aliquibus, ad primum contactum cum tota ædificii mole ruituris. Antequam autem id faciam, libet mihi, prooemii loco, inquirere in cognatum Gal. dogma de uſu capitis. Verba Ariſtotelis ſunt 4. *Part*.10. ἡ κεφαλὴ μάλιστα τοῦ ἐγκεφάλου χάριν, *Caput præcipue factum eſt cerebri gratia.* Hoc Gal. oppugnat hac ratione, Quod μαλακόστρακα, *cruſtata*, Caput quidem nō habeant, cerebrum autem habeant. Si igitur cerebrum abſque capite eſſe poteſt, queî dici poteſt, caput eſſe cauſa cerebri? Heic *primū* omnium illud mireris, cur Gal. alio trahat Ariſtotelem? Cum enim ille expreſſe loquatur de ſanguineis, in quibus ſolis cerebrum eſſe ait: cur ad exſanguia Gal. dilabitur?

 tur?

tur? *Non minus* illud mireris, cur velit cogere Ariſtotelem, ut de imperfectis & perfectis animalibus eundem ſermonem habeat? Cum enim idem doceat, & res ipſa clamet, in exſanguibus non eſſe ullum viſcus, 3.*Part*.4. cur ſermonem, de ſanguineis habitum, in quibus eſt diſtinctus membrorum omnium apparatus, transfert Gal. ad exſanguia? *Tertio* & illud, cum cancri caput habeant, ſed ἀόριστον, *indefinitum*, 4.*Part*.10. aut ſi mavis cum Gal. c.4. ὑπογραφὴν τινὰ μόνην, *duntaxat rudimentum capitis*, quod niſi fallor, eſt idem cum eo, quod alias Ariſtot. ait, σημείου χάριν, *notæ gratia*: cur Gal. ſimpliciter negat eſſe illis caput? Fortaſſis propterea, quia ſenſus ex eo non prodeunt. Inde quia Peripatetici argumentari poterant, *Ergo caput, & quod in capite cerebrum, non eſt primum ſenſorium:* mirifice ſatagit Gal. ut probet, Id, è quo in cruſtatis prodeunt ſenſus, eſſe vocandum cerebrum, aut analogum cerebri, non autem cordis. Ego vero illud iterum urgeo, Ab imperfectis ad perfecta non valet argumentatio. Quod enim Natura in perfectis facit per diſtincta organa: id in imperfe-

ctis facit per unum aliquod. Id vero cui proportionatum esse credendum est in perfectis? Primo, an secundo? Nisi penitus me decipio, primo & indiscreto. *Cor itaque quia in perfectis est primum sensorium, sed quod distinctis utitur organis, cerebro, nervis, musculis: fuerit sane & in imperfectis cordi potius analogum, quam cerebro.* Nimirum, semper procedit Natura distinguendo, ut *ex* 8. *Hist.*1. docet ipsus Gal. 2. *Sem.* 5. Sed *instat*, Aut pars ea, quæ sensus præbet in omnibus est nominanda cerebrum, aut cerebrum in iis, in quibus est, frustra est. Ratio consequentiæ quæ est? Dico enim iterum, Ab imperfectis, &c. Si, *inquit iterum*, oculus *v. g.* dicitur id, quod videt, etsi non in capite sit, sed in pectore: cur id, quod sensum præbet, non dicatur cerebrum, ubi ubi sit? τὸ ἐν ἀρχῇ Hac enim de re ambigitur, Ubi sit primum sensorium? Sed & iterum dicere possum, Ab imperfectis, &c. In his enim calor tam intensus non est, ut opus sit contrario frigore: itaque sensus potuerunt appendi pectori, & quod sentit, cordis analogum est, non cerebri. Et ita ego respondi vobis, ô viri amici: mihi autem

tem

tem quomodo respondebitis? *Cerebrum in iis tantum est, in quibus cor etiam est, quæ eadem sunt sanguinea, Ergo cerebrum propter cor est.* Quæ enim se mutuo tollunt, sunt propter se invicem. Ita *6. Vs. part. 9.* & 11. argumentatur Gal. Dexter cordis ventriculus in iis tantũ est, in quibus pulmones sunt, Ergo ventriculus ille propter pulmones est.

CAP. XIV.

Intelligunt, puto, boni & sapientes viri quorsum ista attulerim! Ideo jam recta *venio ad argumenta.* Primum est *à distantia cordis à cerebro*, Natura, *inquit*, non tam longe separasset ab invicem, sed cerebrum vel omnino circumdedisset cordi, vel certe in thorace collocasset. Ego vero, mi Galene, vellem heic audire rationem necessitatis! Cum enim aër refrigerandi cordis causa ingrediatur per tot ambages: quidni possit heic quoque simile quid fecisse Natura? Dicis

ipſemet 6.*Vſ. part*.2. cauſam hujus tam longinqui itineris eſſe, ne aër inalteratus allabatur ad cor: & non poſſit heic ſubeſſe tale quid? Certe, Accoramboni *Annot. in* 2. *Part*.7.ratio plane mihi perſuadet, *Si*, inquit, *cerebrum locatum eſſet juxta cor, cum ſit ſumme frigidum, cor vero ſumme calidum, ita acriter invicem agerent, & paterentur, ut vel alterutrum deſtrueret alterum, unde ſtatim animal periret, vel ſemper animal doleret ex illa vehementi alteratione, ab his partibus in corpore animalis facta. Nunc enim videmus experientia, quod ſi cerebrum nimium caleſcit, aut cor nimium refrigeratur, vel delirat animal, & male ſe habet, vel prorſus perit, ut contingit in metu, & in calidis ægritudinibus, quæ caput petunt*. Hæc ille. Quibus addo. 1. Quomodo ſenſuum inſtrumenta, quæ nunc in capite ſunt, poterant eſſe in thorace, qui in perpetuo motu eſt? 2. Quomodo thorax, tot modis perforatus, ſatis eſſe poterat tuendo cordi, viſceri omnium nobiliſſimo? 3. Quomodo in ipſo thorace eſſe poterat cerebrum, quandoquidem ibi pulmones ſe dilatare debebant? Sed quid ego multis? Mi Gal. legiſtine Ariſtote-

ristotelem? An non ille ait expresse, *fieri refrigerationem hanc suam per συμπάθειαν,* consensum, *refrigeratoque non corde ipso, sed sanguine ipsius, & quidem, non quamdiu in corde est, sed postquam in cerebrum translatus est?* Cur ergo tu vis cogere illum, ut loquatur de συναφείᾳ, *contactu?* & quidem substantia utriusque.

Cap. XV.

Secundum est *à tutela utriusque partis.* Si adeo, *inquit*, cæcutivisset Natura, ut distantiam negligeret: non tamen in eo etiam cæcutivisset, quod utrumque septo circumdedit tam firmo, densoque, illud quidem thorace, hoc autem cranio. O Galene, non possum non iterum quærere, legistine Aristotelem? An non ille ait expresse, *fieri refrigerationem hanc suam per vasa, quæ à corde sursum eunt?* An non ait, συμπάθειαν *fieri* μεταβαλόντος καὶ πάσχοντος τοῦ περὶ τὸν ἐγκέφαλον αἵματος, *mutato & passo aliquid*

aliquid ſanguine illo, qui circa cerebrum? Age, conſideremus heic vaſa illa. Quæ in Anatomia ignoravit Ariſtot. ea vis tu nocere ſententiæ ipſius: ego vero tam iniquus in te non ero. *Sanguinem è corde in cerebrum ire*, noverat Ariſtoteles: ſed diſtincta vaſa non noverat. *Sanguinem è corde in ſinus duræ matris effundi*, noſti tu, qua in re ſuperas Philoſophum: at ſex illas venas, & arterias quatuor, inter quas venæ tres, arteriæ duæ in ſinus dictos abſumuntur, diſtincte non noveras, qua in re pares eſtis. Quemadmodum ergo tuæ ſententiæ de uſu cerebri hæc ignorantia non obeſt: ita nec Ariſt. obeſſe debet. Per dicta igitur vaſa Ariſtoteli aſcendit ſanguis, indiſtincte: tibi ſpiritus vitalis, proprium & familiare animalis alimentum, *9. Vſ. part.* 4.16. *Vſ. part.* 10. Spiritus hic ad cerebrum it, non impediente utriuſque membri ſepto: & ſanguis ille non eat? Spiritus hic alteretur: & ſanguis ille non alteretur? Libet etiam heic paululum immorari. Audivimus Ariſtotelem docere, *deſinere in membranam cerebri, non paucas & amplas venas, ſed frequentes & tenues*; audivimus etiam, *ſanguinem illas vehere, non*

re, non copioſum & craſſum, ſed tenuem & purum: quid habes heic, quod reprehendas? Certe, ſanguis, qui aſcendere debet, rationabiliter eſt levior illo, qui deſcendit, non refragantibus etiam Medicis! Certe vaſa illa, ad magnitudinem cerebri (præſertim in homine) collata, nec multa ſunt, nec ampla! frequentia etiam & tenuia, ſi cum artubus compares! Hoc forte reprehendes, quod propter temperamentum cerebri aſcendere, ait? Atat, ille non tantum propter τῆς τοῦ ἐγκεφάλου ἀλέαν, *ut conſervetur tepor cerebri naturalis,* aſcendere ait: ſed & propter τὴν τῶν αἰσθήσεων ἡσυχίαν καὶ ἀκρίβειαν, *ut ſenſus ſint quietiores & meliores.* Hæc quantum abſunt à ſpiritu tuo vitali, qui idem ſervit ſenſibus? Niſi prorſus cæcutio, ut noctua ad ſolem, ne hilus quidem intereſt. Ad Ariſtot. ut reditum faciam, ſit ipſius refrigeratio tanto commodius, quo in plura vaſa diſcinduntur poſtea frequentia illa & tenuia. Quod enim recentior Anatomia docuit, Quinque illa dicta vaſa, deſinunt quidem, ut Ariſt. loquitur, ibi, ubi duram matrem contingunt, ſi inſpicias continuitatem perpetuam, in omnibus

aliis

aliis partibus observatam: at si consideres, quomodo ex duræ matris sinubus elapsa, distribuantur primum per totam piam matrem, deinde per totam cerebri substantiam, quod tum erat ignotum Anatomicis, tantum abest, ut ibi desinant, ut etiam cum nervis iterum descendant, ut alibi à me demonstratum est. Quem itaque vasa illa sanguinem vehunt, ubi in substantiam cerebri frigidam & humidam, non sine tamen conceptaculis suis, delatus est, refrigeratur, & sensibus fit aptus. Substantia enim illa, vasa undiquaque cingens, & emplastri modo ambiens, imprimit sanguini qualitatem suam. Hoc modo si fit refrigeratio Aristotelica, quid causabimur septum utriusque visceris? Tibi forte si tempus perdere est animus, abi ad Piccolhominum, & vide, quam ridicule sit solicitus in tertia sua ratione de modo refrigerationis!

Cap. XVI.

Tertium est *ab interpositione colli.* Si omnino, *inquit*. Natura pervidisset illa duo, non tamen & hoc pervisura fuerat, si hoc ipsi fuisset

consilii,

consilii, quod nimirum collum interposuit inter has duas partes. Hoc tanto absurdius est, addit, quo clarius est intuenti rerum naturam, *Animalia, quo calidiora sunt, eo collum habent longius.* Exemplo sint τὰ καρχαρόδοντα, *illa, quæ serratos dentes habent*, canes, lupi, leones, & similia, quibus omnino collum est longius. Exemplo sint aves quædam, quibus adeo protenditur collum, ut cerebrum pari cum pedibus intervallo distet à corde. Ut verisimilius sit, à calcaneo potius venturam cordi refrigerationem, quam à corde. Hæc *ille* & alia magno cum fervore. Ego vero puto, non esse quenquam, qui vel per se non intelligat, vel ex superioribus non agnoscat futilitatem hujus rei! Ut enim jam sæpe dixi, non est necesse, ut frigiditas descendat è cerebro in cor: Cerebrum enim refrigerat sanguinem, è corde elatum. Sed & si necesse esset, non esset res tam absurda, ut ante me ostenderunt alii. *Colli quis sit usus*, recte ostendit Galen. paucis ante ista. Collo igitur quia carere animalia non poterant; per collum autem deduxit natura aërem, cordi refrigerando dicatum: quid miri, si hanc quoque refrigerationem

tionem ita molita est, si omnino alius modus non datur? Quod ad animalia longi colli, novit. Gal. causam 8. *Vs. part.*1. ut possint cibum persequi. In iisdem tamen vasa è corde in cerebrum eunt sine periculo, 16. *Vs.part.*2. & non possit per eadem descendere refrigeratio, si omnino alius modus non datur? Quod si in his par est intervallum inter cerebrum & cor, & inter cor & pedes: quid Atistoteli inde mali est? Tibi vero, ô Galene, tuisque omnibus consecraneis hoc inde est, quod morbum animi hoc γελοίῳ, *ridiculo*, (tale enim est, quamvis Gal. neget) propalatis. τὸ σκώπτειν καὶ καταγελᾷν, ὡς ἠλίθων, ὃ δογματικῶς ἀμφισβητεῖται, προπετὲς, *temerarii hominis est subsannare & ridere in iis, quæ serio in disciplinis aguntur*, verba sunt Gal. 8. *Sent. Hipp.*9. Et parum abest, quin accenseam, qui ista jactitant, τοῖς ἐντέχνοις σοφιζομένοις, quos Hipp. ait 1. *Tract.*5. h.e. interprete Gal. τοῖς σοφὸν μέν τι δοκοῦσιν εὑρίσκειν, ἁμαρτάνοντες δὲ, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ τὰ τοῖς ἰδιώταις ἅπασι καλῶς γινωσκόμενα φυλάττοντες, *qui cum putent, magnum quid & præclarum se invenisse, ne in illis quidem firmi sunt, quæ ab omnibus è vulgo pro certis firmis-*

que

que habentur. Tales qui ſunt, ut videantur pulcre ſapere, neceſſe habent uti oratione non illepide fucata, quod Sophiſtarũ eſſe ait ipſemet Galenus contra Julianum. Et ne putes, me hanc dicam in hoc negotio primum impingere Gal. adi Ferdinandum Epiphaninm 1. *Theorem*. 36. qui cum Zabarella *l. c.* loquitur, ut apparet.

Cap. XVII.

Quartum eſt *à temperie cerebri*, Calidum non poteſt refrigerare; At cerebrum eſt calidum. In hoc quidam valde ſunt officioſi. Et quia putant Majorem non indigere probatione, in probatione Minoris multi ſunt. Piccolhominus inter hos mirifice ſatagit, ut evertat Ariſtot. rationes, quibus cerebrum vult probare eſſe frigidum. Et quamvis certum ſit, Ariſtotelem bonam cauſam non optime egiſſe: nihil tamen hinc decedit bonitati ipſius cauſæ. Habent igitur me fatentem juxta cum illis, Fal-

ſum

ſum eſt, quod ait 3. *Hiſt.* 17. οἱ ἐγκέφαλοι τῶν μὲν πιμελωδῶν λιπαρὸι τῶν δὲ στεατωδῶν; αὐχμηρὸι, *Cerebrum eorum, quæ pinguedinem habent, pingue eſt: eorum autem, quæ adipem, aridiuſculum*; falſum eſt, quod 2. *part.* 7. ait, Cerebrum eſſe natura frigidiſſimum, quia juncta ei ſit ſpinalis medulla, quæ calida eſt. Revera enim ſpinalis medulla æque frigida eſt ac cerebrum; falſum eſt, quod *ibid.* ait, τοῦ ἐγκεφάλου ψυχρότητα φανερὰν εἶναι κατὰ τὴν θίξιν. *cerebri frigiditatem tactu eſſe manifeſtam*; falſum eſt, quod 1. *Hiſt.* 16. ſcribit in eundem ſenſum, τὸν ἐγκέφαλον θιγγανόμενον κατὰ φύσιν ψυχρὸν εἶναι, *cerebrum natura ſua ad tactum frigidum eſſe*; falſum eſt, quod *ibidem* dicit, ἄναιμος ὁ ἐγκέφαλος ἅπασι? καὶ οὐδεμίαν ἔχων ἐν αὐτῷ φλέβα, *exſanguis eſt omnibus cerebri ſubſtantia, neque in ſe ullam continet venam*; falſum eſt, quod iterum 2. *part.* ait eodem ſenſu, ἀναιμότατος τῶν ἐν τῷ σώματι πάντων (οὐδ' ὁτιοῦν αἵματος ἔχει ἐν αὐτῷ) ὁ ἐγκέφαλος, καὶ αὐχμηρότατος, *omnium in corpore partium (humidarum) maxime exſangue eſt (nam ne tantillum quidem ſanguinis continet) cerebrum, & ob id ſqualidum.* Hunc enim ſenſum habet vox, ex priori

plane

plane pendentem, ne quis cum Pic-
colh. frustra se torqueat? falsum est,
quod 3. *Hist.* 3. ὁ ἐγκέφαλος πάντων ἄ-
ναιμός ἐστιν, καὶ οὔτε μικρὸν, οὔτε μέγα φλε-
βίον ἀποτελευτᾷ εἰς αὐτὸν, *cerebrum omne
est exsangue, neque ulla vena, magna vel
parva, desinit in ipsum:* sed falsum non
est, quod eodem 2. *part.* dicitur, ὁ ἐγ-
κέφαλος ψυχρότατον τῶν ἐν τῷ σώματι
μορίων, *cerebrum membrorum omnium
frigidissimum est*; falsum non est, quod
5. *Gen.* 3. φύσει ἐστὶν ὁ ἐγκέφαλος τοῦ σώ-
ματος ψυχρότατος, *in toto corpore ce-
rebrum est natura frigidissimum*; falsum
non est, quod *de Somno* 3. πάντων ἐστὶ τῶν
ἐν τῷ σώματι ψυχρότατον ὁ ἐγκέφαλος,
*omnium in corpore partium cerebrum
est frigidissimum*; falsum non est, quod
iterum 2. *part.* 7. affirmatur, τὸν ἐγκέ-
φαλον φύσιν ἔχει κοινὴν ὕδατος καὶ γῆς, *Ce-
rebrum naturam habet aquæ & terræ
communem*; falsum non est, quod *ibi-
dem* subjicitur, ὅτι δ᾽ ἔστιν ὁ ἐγκέφαλος
κοινὸς ὕδατος καὶ γῆς δηλοῖ τὸ συμβαῖνον
περὶ αὐτόν· ἑψήμενος γὰρ γίνεται ξηρὸς καὶ
σκληρὸς, καὶ λείπεται τὸ γεῶδες, ἐξατμι-
σθέντος τοῦ ὕδατος, *cerebrum esse aqueum
& terreum ostendit id, quod accidit circa
illud. Elixum enim fit siccum & durum*;

exha-

exhalanteque humore relinquitur, quod terreum est. Si de humiditate præterea aliquid velis, verum eſt, quod ait 1. *Hist.* 16. κατὰ μέγεθος ἄνθρωπος πλεῖστον ἔχει ἐγκέφαλον καὶ ὑγρότατον, *homo, proportione magnitudinis, cerebrum habet plurimum & humidiſſimum*; verum eſt, quod 2. *part.* 14. inquit, πλεῖστός ἐστι καὶ ὑγρότατος ὁ τῶν ἀνθρώπων ἐγκέφαλος, *hominum cerebrum copioſiſſimum & humidiſſimum est.* Ne dubites, Gal. 1. *Temp. ult.* & 2. *Temp.* 3. inter partes humidas habet: 5. *Aph.* 69. manifeſte frigidum eſſe ait. At heic tribus argumentis calidum eſſe affirmat? Si quidquam video, loquitur comparate. Ut enim ridiculum ſuum faceret ſerium, pœnitudine, credo, ductus, cerebrum ait calcaneo eſſe calidius, ideoque fieri, ut calcaneum refrigerando cordi ſit aptius, quam cerebrum. Revera autem cerebrum eſt frigidum, reſpectu ſcil. partis temperatæ, quod magnus hac in parte Ariſt. adverſarius, Argenterius, quoque tradit. Et in promtu ſunt Galeni in Arte c. 28. verba, *Cerebrum calidiſſimum est frigidius corde frigidiſſimo.* Quod ſi non credis, confer utriuſque partis ſubſtantiam, cerebri quidem

mollem,

mollem, & albam, cordis autem duram & rubram, nec diffitebere. Quin para tibi vivam Anatomiam, experiere, verum esse, quod dico. Quod tamen dum studio contradicendi negare vult Piccolhominus, turpiter se dat. Quid enim est, quod ait, se in cane vivo animadvertisse, cor & cerebrum æque fere calida esse. Quid est illud *Fere?* Gradus rustici, *ein Bawrenschritt*, ut nos solemus dicere. Quomodo enim focus non sit calidior vaporario, cui calefaciendo est factus? asserente idipsum etiam Gal. 2. *Temp*. 4? Jam ergo hoc adversariis ultro datur, *Cerebrum est actu calidum:* Sed an propterea non possit refrigerare cor? Remissum enim remittit intensum. Qui tradunt rationem compositionis medicamentorum, dicunt, Ex calido, ut sex, & calido, ut duo, non fit calidum, ut octo, sed ut septem seu sex. Hoc enim demit illi. Affunde aquæ calidæ tepidam, non calefiet amplius, sed refrigerabitur. Hinc apparet falsitas Majoris. Apparet etiam insignis lapsus Piccolhomini, qui putat, si obtineat, cerebrum esse temperatum, jam se obtinuisse, cerebrum non posse refrigerare cor. Hei mihi, quam nemo sapit omnibus horis!

CAP. XVIII.

Quintum eſt illud, cujus pene in veſtibulo memini, *Fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora*; At cum Ariſtot. ipſe pulmones & aſperam arteriam præfecerit refrigerando cordi, cur adeo ſui eſt immemor, ut jam aliam comminiſcatur refrigeratione? Reſpondere poſſem cum Alcorambono in *l.d.* (quo etiam inclinat Langius) refrigerationem cerebri eſſe καθολικώτερον, *magis univerſalem latiusque patere.* Ubi enim pulmones & aſpera arteria non ſunt, ut in piſcibus, refrigeratio cordis fit à cerebro, inquit. Verum cum ad id facile ſit reſpondere, diſtinxi ego, diſtinguoque amplius, Refrigeratio, quæ fit per pulmones, eorumque analogum in piſcibus quibuſdam, pertinet ad ſanguinem alimentarium, aut potius ad cor, quod ſanguinem illum conficit. Refrigeratio, quæ per cerebrum fit, pertinet ad ſenſus in ſanguineis. Hæc ipſe Ariſtot. diſtinxit. De *priori* enim verba ſunt *de Somno* 2. τὰ ἀναπνέοντα, καὶ τὰ τοῦ ψυχροῦ καταψυχόμενα, πρός γε τὴν

πωτηρίαν τοῦ ἐν τούτῳ τῷ μορίῳ (καρδίᾳ) θερμοῦ, ἡ φύσις πεπόρηκε. Quem locum à Gaza male habitum, ita interpretandum duco. *Natura, ad ſalutem calidi, in hoc membro (corde) ſtabulantis, perforavit, tam illa animalia, quæ reſpirant, quam illa, quæ in aqua perfrigerantur.* Cur autem verbum πορέω ita vertam, locus dicendi forte alius erit. De *poſteriori* ſunt ſupra allata loca, præſertim ille, qui cerebrum eſſe factum dicebat, πρὸς τὴν τῶν αἰσθήσεων ἡσυχίαν καὶ ἀκρίβειαν, *ad ſenſuum quietem & accurationem.* Faceſſat itaque convicium Gal. qui Ariſt. ait hac in parte fuiſſe ſui immemorem! Qui enim id dici poteſt de eo, qui de diverſis rebus diverſa docuit diverſis locis? Ut iterum dicere cogar, quamvis nauſeam ſit pariturum, Legiſtine Ariſtotelem, ô Galene?

Cap. XIX.

Sextum ita formare debuit Piccolhominus, *Aër calidiſſimus non refrigerat cor, Cerebrum eſt calidius*

calidius aëre etiam calidissimo, Ergo cerebrum non refrigerat cor. Aut ita hypothetice, *Si aër calidissimus non refrigerat cor, multo minus cerebrum, quod est calidius aëre calidissimo, refrigerabit cor, At verum prius, Ergo.* Assumtum probatur, In aëre calidissimo si tractentur vulnera capitis, diligenter tamen videndum, ne cerebrum refrigeretur. Id enim malorum ultimum est. 1. nego, aërem etiam calidissimum non aliquatenus refrigerare cor. Quomodo enim viverent Æthiopes, Ægyptii, adeoque Orientales & Meridionales omnes? Et nos experimur, etiam in calidissimis balneis nos aliquandiu vivere posse. Refrigerat igitur, sed non æque feliciter. 2. dico licet cerebrum sit calidius aëre: non est tamen calidius corde. Qua de re jam dixi Gal. sententiam, sensui respondentem. Quod de periculo in vulneribus capitis dicitur, alio pertinet, quam ad simplicem refrigerationem. Idem enim accidit in vulneribus thoracis. Quæ causa? quam Gal. attulit supra, Quia allabitur aër inalteratus, præterque consuetudinem. Vide Cæsalp. 5. *Artis*, 2. Quod autem vellicat Gal. Aristotelẽ, qui 2. *Gen. & Cor.* 3 aërem

aërem dixerit esse calidum: solens suo more facit. Loquitur enim Philosophus ibi de aëre puro & elementali, qui revera calidus & humidus est, teste etiam Hipp. *l. de Carnibus*, non de eo, quem spirando trahimus. Vide Accoramb. *d. l.* An hoc non est peculiare Gal. argumentum? Voluit enim obviare tantum instantiæ illi, *Nisi forte cerebro aërem calidiorem existimans*, &c.

CAP. XX.

Septimum est, *à natura calidi.* Calidum, inquit, sursum fertur, non deorsum. Possum satisfacere dupliciter, 1. *per instantiam*, Spiritus animalis, qui calidus est, fertur deorsum in nervis. 2. *allato modo refrigerationis*, de quo satis superque, nisi forte super eo audire placet Th. à Veiga, *Com. in Art. c.28.* Quia peculiare spiritus temperamentum moderandum erat, & variis aptandum actionibus, genuit membrum subfrigidum, album, molle, citra vasa, *cerebrum*, ut per totum illud conversans spiritus, à

L corde

corde delatus, recipiat temperamentum, puritatem & ſplendorem, ad divinas in cerebro functiones. *Elegantius Com. in 3. Loc. aff.* 4. Pulcre Natura intelligens, calorem animalibus functionibus neceſſarium eſſe, ſed eum tamen frigore temperatum, & ad moderationem, quietemque redactum, quo nec motus temerarii ſint, nec ſenſationes deliræ, quales ſunt phreneticorum: junxit in animalibus cerebrum cordi. Quemadmodum enim fabri ferrarii ferrum aptant primum igne, deinde aqua temperant: ita ſpiritum vitalem primum inflammare debet cor, cerebrum deinde attemperare, ut quietem comparet, qua anima ſapiens evadat.

CAP. XXI.

Octavum ſit id, cujus ſupra quoque ex Argenterio memini, De ſententia Ariſt. non omnes ſenſus pertinent ad cerebrum, quomodo igitur Ariſt. dicere poteſt, *Cerebrum eſſe ſenſorium?* Loca ſunt 2. *part.* 7 *&* 12. Dixi ex Averroë, imperitiam Anato-

natomiæ non debere nocere ſententiæ Ariſtotelis. Quemadmodum itaque Galeni doctrinæ 8.*Vſ. part.6.* de modo auditionis (puta quod fiat aëris percuſſione quaſi unda progrediente ad cerebrum) non nocet, quod ille ſtructuram auris intimam ignoravit, & in ſpecie, quod *6.Meth. ult.* de ſententia Eraſiſtrati, ut patet ex 7.*Sent. Hipp.3.* docuit, Meatum auditorium, non ſolum ad duram matrem pertinere, ſed etiam nervum contingere, qui in ipſum è cerebro deſcendit: ita Ariſtoteli, in univerſum de omnibus ſenſibus loquenti, non debet nocere, quod progreſſum omnium è cerebro ad ſenſoria nervorum neſcivit. Oſtendiſſet aliquis Ariſtoteli: cum gratiarum actione accepiſſet, quia ſententia ipſius ita confirmat, ut nihil amplius. Hei mihi, ſi aquilæ illi non obſtitiſſet malignitas temporum, quam pulcre haberemus explicatos uſus multarum partium, qui hodie vel ignoti nobis ſunt, vel male docti!

CAP. XXII.

Nonum conficit *ratio illa validissima, quæ Aristotelis & Peripareticorũ dogmata evertit funditus*, inquit Orator Gallus. Si cerebrum refrigerandi cordis gratia tantum constructum est, quid opus tam mirabili structura? quorsum cavitates quatuor, corpus cameratum, plexus arteriarum labyrinthei, conarium, glutia, epiphysis scolicoides, spinalis medulla, nervorum propagines. Audio: sed audi tu quoque. Si cerebrum gignendi spiritus animalis gratia tantum factum est, quam rationem reddis structuræ illius mirabilis & vere Dædaleæ? Certe, tam tibi aqua hæret, quam mihi! Et sunt in medio duorum magnorum virorum scripta, Altimari & Claudini, in quibus probant, facultates principes non fieri in ventriculis, sed in corpore. Ego vero *in Com. in de us. part.* probavi, sensus etiam externos fieri in corpore, non in ventriculis, ut isti volunt. Cum enim spiritus in ventriculos non illabantur; nervi etiam cum illis non sint continui: queî possit hoc

hoc dici? Quare ſpongia ἀδιάπλαςος, *informis*, ut Galenus loquitur, idẽ præſtiterit. Quæſo autem te, per Deum immortalem, mi Laurenti, quid habes, quod tantopere jactes de ratione ædificii hujus mirifice miri? Ventriculorum duorum ſuperiorum tres affers uſus, quos omnes ſi commentitios eſſe dixero, vere dixero. Horum præcipuus quia eſt ſpirituum generatio; quippe, qui extendit ſe etiam ad alios, ad nates, ad ſequentia; is ipſe autem falſus eſt, ut ante me probarunt optimi Galenici: quid habes, quo te jam oſtentes præ Ariſtotele? Præſtat fateri ignorantiam, quam falſis aſſertionibus collutulare naturam. *Quod non ita eſt, ut dicitur, etiamſi honos videatur, injuria eſt,* inquit quidam è veteribus Theologis. Sic hodie plerique agunt, Quidquid dicit Ariſtoteles, quidquid dicit Gal. eſt omni exceptione majus. Non ita, Qui non dubitat, ajebat, Scherbius, eſt ſimilis homini dormienti & ſecuro, h.e. qui plane non cogitat, in quanta ignorantia verſemur.

CAP. XXIII.

Argenterius & Laurentius *hac addunt reliquis.* Quoniam Natura in omnibus est justa, siquidem à cerebro refrigerium debet exspectare cor, quo calidius est cor, eo majus erit cerebrum. Quare in leone, animali calidissimo, cerebrum erit majus, quam in homine, & in masculo majus, quam in fœmina. *Respondeo*, nulla heic necessitas est. Satis enim est, ut tantum refrigeretur (ita enim loquar) cor, quantum speciei illi convenit. Leo *v. g.* non debet tantopere refrigerari, quantopere homo, alias desineret esse leo. Alioquin notum est Vesalii dogma *l.7. c.1. Tam magna esse animalium cerebra, quam proxime ad rationem humanam accedunt.* Homo igitur quia animalium rationalissimus, ut sic dicam, jure maximum habuit cerebrum. Leo autem, quamvis calidior homine, non tantum habet cerebri, quia tanto refrigerio non indiget. Cæterum quod de mare dicitur heic, Aristotelis est 2.*part*.7. & Plinii *l*.11. *c*.37. quod ratione non caret, quamvis, credo, nemo libellæ appenderit.

CAP. XXIV.

Corollarii loco libet mihi hæc adnectere. Ut Aristot. hoc statuit, inquit Argenterius, ita modum dicere non potest, quo id fiat. Immo vero, & potest dicere, & dicit. *συμπάθειαν enim ait esse inter cor & cerebrum, sensumque fieri, cum sanguis alteratur in cerebro, 2.part.7.* Cujus loci emendationem eam, quam supra tradidi, si non recipis, & cum Accorambono intelligis per principium *Animã:* non ego quidem pugno, modo hoc mihi des, quod sequentia verba mihi dant, *Sensum fieri per alterationem sanguinis.* Hæc enim explicant συμπάθειαν illam. Viderat, ut reor, Argenterius, modum hunc dari posse, & datum esse dudum ab Averroë. Ideo in hunc convertit spicula sua causans, non esse modum illum conformem menti Aristotelis. *Aristoteles*, inquit, *per partium connexionem fieri tradit.* Ubi, quæso te per omnia sacra? Ostende mihi, ut ego ostendi συμπάθειαν, & cedam è vestigio. Certe Gal. non agnovit, alioquin non usurus fuisset argumentis illis, quæ à

diſtantia utriuſque partis inter ſe ſumuntur. *Ariſtoteles* inquit porro, *cor refrigerari dicit, non ſpiritus.* Ubi, quæſo te iterum per omnia ſacra? Oſtende mihi, ut ego oſtendi tibi ſanguinem, qui includit ſpiritus, quippe, qui ſine ſanguine nuſpiam ſunt. Quare illud cadit ſimul, quod Laurentio adeo placuit, ut denuo nobis commendaret, Spiritus illos non deſcendere ad cordis refrigerium. Non debent: ad ſenſoria enim deſcendere debent, doctore ipſomet Ariſtotele, quamvis non uſque adeo luculenter, ob nubes illorum temporum. Tu vero, ſi honeſtus es, utere hac luce noſtra ad declaranda ea, quæ obſcurius ab Ariſtot. ſunt tradita, non autem ad premendum bonos viros. Idem Argenterius, cum ſecus quam Gal. explicat mentem Ariſtotelis de mediocri temperie, quam totum corpus nanciſcatur ex mutua duarum harum partium oppoſitione: declinat ad Accoramboni ſententiam, de qua dixi, quod ſatis eſſe poſſit.

CAP. XXV.

Iniquior Argenterio Piccolhominus est. Dum enim proram puppimque negotii in eo consistere putat, ut probet, *Cerebrum non esse frigidum:* in duobus maxime impingit. Cum negat, temperatum refrigerare, ridendum se propinat lixis & coquis. Cum putat, Aristotelem tam cæcum fuisse, ut nesciverit, quo respectu pars quælibet dicatur frigida aut calida, in ipso principio labitur cum onere, effunditque omnem gratiam. Porro autem cum aggreditur rationes Aristotelis, parum abest, quin ineptus fiat. *Cerebrum non est factum*, inquit, *ut cordis calorem temperet: quia cordis tantum incendium non est, ut in ore comedentis ardorem aut exulceratione͂ excitet, piperis instar, aut pyrethri, aut euphorbii.* Quis Deorum hominumve unquam ista somniavit, præter Piccolhominu͂? Et quæ ratio, si tantopere non calet, non indiget contrario momento? Credo, suboluisse ipsi. Propterea paulo post *spiritum animalem* fieri contendit, non alteratione (non poterat enim a-

liam qualitatem, quam frigiditatem, dicere) ſed nova & ſubſtantiali generatione. Mox addit, *Cerebrum non poteſt alterare cor: quia tantum abeſt, ut inter ſe exquiſitiſſime confundantur, ac per minima miſceantur (hoc autem neceſſarium eſt, ſiquidem ad medium perveniri debeat) ut ne quidem contingant ſe.* Quid eſt calumnioſe interpretari verba alterius, ſi hoc non eſt? Quis autem non videt, tolli hoc modo omnem per συμπάθειαν alterationem? Hanc autem revera non tollet, niſi omnes, ne quid aliud dicam, morbos per conſenſum tulerit, quod utinam faceret? Quis item non videt, arare illum vitula Argenterii, dum connexionem ſeu adhæſionem urget; quam Ariſt. ne per ſomnium quidem cogitavit? Eidem culpæ (debebat enim fateri, per quem profeciſſet) affinis eſt, dum conatur reſpondere ad id, ad quod negavi ego *c.* 13. poſſe reſpondere? Si hoc voluiſſet Natura (vult dicere Argenterius) oportebat adverſus ſiccitatem & duritiem oſſium, adverſus pulmonis calorem & mollitiem, aliarumque partium exceſſus, immodicas qualitates contrarias in aliis partibus moliri, &c. Cur, quæſo, oportuit?

tuit? mi Argenteri. Ut enim ipſe fateris, non omnis exſuperantia requirit, ut temperetur. Si enim pars ſit talis, ut ſuas functiones, uſuſq; exercere poſſit, non eſt opus. *V.g.* Oſſa debent eſſe dura, pulmo debet eſſe mollis, & ſic de cæteris. At *cor* non erat tale, quod ſentire poſſet, ſi modo calorem in totum corpus diſtribuere debebat: ideo ut ſentire poſſet, opus habebat ſuccenturiata parte, quæ calorem illius retunderet. Hæc cauſa eſt, cur in iis tantum ſit cerebrum, in quibus cor eſt, ceu dixi ſupra. Hinc apparet, quam temere dixerit Piccolhominus, *Ariſtotelem in hoc negotio fregiſſe autoritatem veteris diſciplinæ, Hippocraticæ & Platonicæ!* Ubi rationes habuit, fregit, & jure. Amicus enim Socrates (ait ipſe) amicus Plato, ſed magis amica veritas. Nimirum, fruſtra Hippocratis, Platonis, Socratis autoritas apud doctos homines in teſtimonium vocatur, cum poſtea nihilominus quærendum ſit, An Hipp. Plato, Socrates cum ratione conſentiant? Apparet etiam, irritum eſſe telum Argenterii, qui ait, *Ariſtotelem confinxiſſe potius hominem ex ſua ratione & ingenio, quam vidiſſe unquam.* Apparet quin

etiam

etiam: verum abrumpo, ne latius serpat oratio, quam modestia permittit.

CAP. XXVI.

Antequam *colophonem* imponã, non possum non meminisse Pacii, qui *Com. in 6. Meth. 6.* arma expediens in Zabarellam, pene transfugit in castra Aristotelis. Dum enim conatur respondere argumento secundo, *Sedes*, inquit, *facultatis sensitivæ atque motricis aptissima est, non quæ calidissima, sed quæ caloris moderatissimi. Alioquin oportebat, quæ animalia calidissima sunt, ea sensu, motu ac principibus actionibus præstare cætera, quod profecto non evenit. Igitur ratione diversarum operationum anima indiguit diversis instrumentis, & diversa temperatura donatis, ejusque facultates in iis vigere, quia per hæc & in iis operatur anima. Ad operationes principes, præcipue ad sensum & motum, maxime aptum erat cerebrũ, sua quadam temperie donatum, quo pacto sensitivam & motivam facultatem dicimus in cerebro residere.* Hæc ille: quæ plane

plane Peripatetica ſunt, ſi hoc ſolum demas, quod cerebrum putat eſſe primum ſenſorium. Quod ut obtineat, valde laborat in eo, ut probet, ſpiritum animalem diſtare ſpecie à vitali, quod utriuſque ſpecie differentes ſunt operationes. Ego vero hoc neceſſarium eſſe nego, ſpecie differentes effectus nõ poſſe edi à cauſis, quæ gradu tantum inter ſe differunt. An non ignis gradus quidam ne coquit quidem, alius perfecte coquit, alius amburit etiam? Si dubitas, adi Chymicos noſtros, & diſce, Quid & quantum poſſint gradus ignis? Præterea concedit ipſe, ſatis eſſe, ut dici poſſit coctus in cerebro ſpiritus animalis, ſi ita à cerebro alteretur, ut temperaturam & officium mutet. Ubi ſi excepero, Ergo in ventriculo etiam ita erit, in aliis partibus, ad quas it ſpiritus vitalis: reſpondebit ille, Non. Quare? Quia habet eandem temperiem, idem officium. Ego vero nego. In ventriculo enim chylificat, in mammis lactificat, ut ſic dicam, in aliis facit aliud, & ſpecie differens. Quo ipſo profecto concidit dogma ipſius. Nam & *ſpiritus animalis differt à vitali, ut propriũ à communi, genus à ſpecie.* Quod

cum

cum plane ſtabiliat *principatum cordis Ariſtotelicum*, non eſt cur pluribus immorer. Video enim hunc virum quoque maluiſſe bonum eſſe Interpretem, quam bonum Philoſophum. Mihi alius eſt animus, Ubi verum, ibi ego quoque ſum. Obloquentes ulciſci didici contemtu, exemplo Friderici II. Imp. literatiſſimi principis, cui iſtum Senarium fuiſſe familiarem, alicubi legi,

πολλῶν ἐγὼ θείων ψύφους ἀκήνωα

FINIS.

CASP. HOFMANNI,

De

ICHORIBVS,

Et in quibus illi apparent, affectibus,

COLLECTANEA.

Clarissimo & excellentissimo viro,

D.D. ANTONIO VARO,

PHILOSOPHO & MEDICO in illustri SALANA, Domino & amico plurimum observando, S. P. D.

CASPAR. HOFMAN.

Cum PH. SCHERBIUS, mundus ille omnium virtutum & disciplinarum, non procul abesse se sentiret à fatali termino, optasse dicitur, liceret sibi integris viribus disputare *de morbis colliquativis*, materia tam vulgo ignota, quam necessaria omnibus elegantioribus Medicis. Inde cum conjectarem ego, si non perfectum, certe affectum quid tale reliquisse illum: cœpi apud hæredem diligenter inquirere, facturus, quod erga Præceptorem optimum fas esset facere memorem discipulum. Verum cum opinione mea luculenter falsus essem, dubium, malignave potius quorundam invidentia, quam fato sinisteriore? cogitationes suscepi ipse de hoc negotio. Quod cum subinde me traheret ad ichoras; & vero ostendant se illi

ſe illi in longe etiam aliis morbis, quã colliquativis: accidit mihi, quod apud Flaccum illi, cui cum amphora eſſet inſtituta, urceus exiit. Viſa tamen fuit, ne ſic quidem res male cecidiſſe, quando ſummi cujuſdam viri vox eſt nota, *Ichoras in ore Medicorum verſari frequenter, at qui ſint ii, paucos omnino intelligere.* Hac occaſione quæ nata mihi erant, proponere erat animus more in Academiis uſitato: verum, deluſus à quodam, nolui prenſare alios, poſtquã amici, ad quos factum dimanarat, inſtare cæperant, hac potius irem via. Tibi autem Vir Clariſſime, nuncupo, duas ob cauſas. Alteram: ut ſtimulum ſubdam expromendi è myrothecio ingenii tui illuſtris, quod propius accedat ad acumen & judicium communis pręceptoris, incomparabilis SCHERBII. Alteram, ut, quoniam animi deſtinatione quadam dudum veſter fui, ita penitius irrepam in notitiam illam, quam SCHERBIUS olim fundavit primus. Bene vale. Ex Altorfio Noribergenſium, Calend. Decemb. 1617.

CASP. HOFMANNI

DE

ICHORIBVS, ET IN QVIBVS illi apparent, affectibus,

COLLECTANEA.

TO ἰχὼρ, ἀντὶ τοῦ ἰσχὼρ, ἀπὸ τοῦ σἴχειν, *pro quo etiam* ἴχειν *dicitur*, quod eſt attenuare, *tam late patet apud authores, quam late patet* τὸ ὑγρὸν ἢ ὑγρότης, humidum ſeu humiditas.

2. *De plantarum humore* apud Dioſc. l. 1. c. 135. & l. 5. c. 1. *accipitur. Ichora enim vocat liquorem illum, qui ex corni & vitis lignis viridibus exſtillat, dum comburuntur. Hæc exſcribens Plinius* l. 24. c. 8. & in procemio. l. 23. *modo ſudorem interpretatur, modo aquam.*

3. *Apud Homerum* Iliad. έ. *contra diſtinguitur à ſanguine, & datur hic quidem animalibus mortalibus, ille autem immor-*

immortalibus, ut loquar cum Platone in Timæo, & Seneca 8. Epist. 59. *Verba ſunt de Venere à Diomede vulnerata:*

—— ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο,
Ἰχὼρ, οἷόσπερ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν,
Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον,
Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Fluxit autẽ immortalis ſanguis Deæ,
Ichor, ſcilicet qualis fluit beatis Diis;
Non enim edunt cibum, non bibunt rubrum vinum,
Ideo exſangues ſunt, & immortales vocantur.

4. *Locum hunc Plutarchus laudat in vita Alexandri Magni. Cum enim ſagitta ictus graviter doleret, amicis, aut potius adulatoribus, qui Deum eum faciebant, dicebat:* Id quidem, quod de vulnere effluit, ſanguis eſt, non ἰχὼρ, οἷόσπερ τε ῥέει, *&c. An Epicurus confinxit hinc Deos ſuos, quos, teſte Cic.*1. de nat. Deor. *negabat corpus habere, ſed quaſi corpus non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem?*

5. *De omni ſive ſecundũ ſive præter naturam humore animalium mortalium dici aliquando, elicio ex Hipp. & Gal.*1. de Nat. hum. 4. *Cum enim egiſſet ille de ſanguine,*

ne, bile utraque & pituita; ſubjunxiſſet verò, καὶ παντοῖον τι, *explicat hic ultimum hoc* περὶ τοῖς ἰχῶρσι, τοῖς ἐν ταῖς χαλεπαῖς οὔσαις νόσοις γιγνομένοις, de ichoribus, qui in difficilibus morbis exiſtunt. *Vnde ſic infero: cum* τὸ παντοῖον *Hippocraticum ſit ejuſdem generis cum iis, quæ præceſſerant,* παντοῖον *autem, interprete Galeno, ſignet Ichoras: ſignabunt ubique præcedentia etiam.*

6. *De humore præter naturam locus eſt apud eundem* Hippo. l. de Arte, tit. 17. πᾶν τὸ ἀσύμφυτον, *inquit,* ἤν τε δέρματι, ἤν τε σαρκὶ καλύπτηται κοῖλόν ἐστι πληροῦται δὲ ὑγιαῖνον μὲν πνεύματος, ἀσθενήσαν δ' ἰχῶρος, quicquid non coaluit, ſive cute tegatur, ſive carne, cavum eſt. Plenum autem eſt, in ſanitate quidem ſpiritu, in morbo autem ichore. *Eodem ſenſu videtur accipere, cum* l. de corde, t. 9. *ait, In animalis mactati ſiniſtro cordis ventriculo nihil eſſe* πλὴν ἰχῶρός τινος καὶ χολῆς ξανθῆς, præter ichorem quendam, bilemque flavam, *At vero idem Hipp.* t. ſeq. *videtur accipere de humore quodam naturali, qui, inquam, in articulis continetur,* τούτων οὐδὲν *inquit,* οὐχ ἢ παφρῶν ἐστι, καὶ ἔχον περὶ αὐτὸ θαλάμες, ἢ οὐ καλαγγέλλει ἰχῶρ ὅς ἐκ διοιγομένων αὐτῶν, πολύς τε καὶ

τε καὶ πολλὺς λυπήσιας ἐξέρχεται, ossium articulatorum nullum est, quod non bene humidum, habeatque cavitates, denunciat Ichor, qui sauciis illis effluit copiose & cum dolore.

7. *De eodem (sed latius extendendo.) Gal.*8.Sen. Hipp.4. *extremo accipit. Docens enim ibi, quomodo animal constituatur, non ex quatuor elementis, sed ex eo, quod unicuique in corpore respondet, ait: Terram nusquam videmus per se solam in corpore congregatam, nusquam aquam; sed ichoras quosdam, factos ex mistione elementi aquei & ignei. Neque illos tamen semper solos: sed sæpe auctos crassamento terreo seu fæculento, &c.*

8. *Non de omni, sed de solo sanguine Hipp.* l. de nat. pueri. t.4. *cum de psaltria ait, In eo, quod ejecit, apparuisse fibras albas & crassas,* εἰλημμένας ξὺν ἰχῶρι παχέι καὶ ἐρυθρῷ, continentes ichorem crassum rubrumque. *Clarius Diocles apud Paulum* l.1. c.ult. *qui sub æquinoctium vernum ait augeri* γλυκεῖς ἰχῶρας αἵματος, Dulces ichoras sanguinis.

9. *Contra, ut plurimum de longe alio humore, quam sanguine capitur, quando scilicet* τὸ ἰχὼρ *tribuitur animalibus ex-*

sangui-

sanguibus, τὸ αἷμα *sanguineis. Apud Aristotelem enim* 3.Hist.2. & 6. ἰχὼρ *in exsanguibus est, quod* αἷμα *in sanguineis, quamvis* 4.Part.4. *id ipsum* ἀνώνυμον *esse dicat, è quo Plinius* l.11. c.3. *Hinc Aëtio Tetrab.* 2.Scr.4. cap.10. *non sanguis sed* ἰχὼρ *dicitur, crudus ille & mucosus humor, quem cochleæ terrestres emittunt. Hunc Gal.* 3. Alim.3. χυλὸν succum, 2. Art.51. μύξαν, mucum *vocat Plinius* lib. 30. c.15. *salivam.*

10. *Hinc (propter similitudinem temperamenti, credo)* ἰχὼρ *in sanguineis dicitur nonnunquam sanguis crudus & imperfectus, sed qui ad perfectionem suam venire potest. Hoc sensu Aristoteles* 3.Hist. 19. *ait,* ἐξ ἰχώρων πεπτομένων γίνεσθαι αἷμα, ex ichoribus concoctis fieri sanguinem.

11. *Hinc adeo (propter similitudinem substantiæ, credo)* ἰχὼρ *vocatur tenuior pars massæ sanguineæ corruptæ & colliquatæ: Quo factum est, ut Aristoteles cum priori illo conjunxerit, ceu patebit ex dicendis.*

12. *Vterque hic* ἰχὼρ *quia aliquatenus æmulatur substantiam* τοῦ ὀῤῥοῦ seri, *quod est apud Hipp.* l. de alim. t. ult. ὄχημα τῆς τροφῆς vehiculum alimenti: *fit ut &*

ὀῤῥὸς

ὀῤῥὸς ille appelletur aliquando τοῦ ἰχῶρος nomine, & ἰχὼρ hic accipiat nomenclaturam τοῦ ὀῤῥοῦ. Hinc Arist. 3. Hist. 20. ait, Omne lac habere ἰχῶρα τινὰ ὑδατώδη, ὃς καλεῖται ὀῤῥὸς, ichorem quendam aqueum, qui vocatur ſerum. *Et Gal.* 2. Elem. 2. *ait, Id quod in ſanguine reſpondet ſero lactis, eſſe οἷον ἰχῶρα*, quaſi ichorem. *Idem* 2. in 6. Epid. 38. *affirmat, Nihil aliquando referre, utro nomine dicatur tenue id, quod in omnibus liquoribus eſt.*

13. *Hinc iſta duo vocabula ſæpe ſunt συνώνυμα, De priore locus eſt apud Philoſophum*, 3. Hiſt. 19. *ubi ait, τὸ αἷμα γίνεσθαι ἰχωροειδὲς καὶ διορῥοῦσθαι*, ſanguinem fieri ichoroſum & ſereſcere. *De poſteriori loca ſunt apud Gal.* 3. Sympt. cauſ. 2. 1. Artic. 30. 2. Fac. nat. ult. *ubi ὀῤῥοὺς vocat, quos ἰχῶρας debebat.*

14. *Et hic eſt duplex ἰχὼρ Ariſtotelis, quem ille duobus locis, ſed verbis paululum mutatis, deſcribit. Ait enim* 3. Hiſt. 19. *ἰχώρ ἐστιν αἷμα ἄπεπτον, ἢ τῷ μήπω πεπέφθαι, ἢ τῷ διορῥοῦσθαι*, ichor eſt ſanguis crudus, aut quia nondum concoctus eſt, aut quia in ſerum abiit. *Et* 2. part. 4. *ἰχώρ ἐστιν ὑδατῶδες τοῦ αἵματος, διὰ τὸ μήπω πεπέφθαι, ἢ διεφθάρθαι,*

ichor

ichor est aquosum quid sanguinis, sive id fiat, quod sanguis nondum sit perfecte coctus, sive quod post coctionem corruptus sit.

15. *Hæc res quia magni in Medicina momenti est, ut recte intelligatur, liceat mihi alterum & priorem Aristotelis ichorem vocare* ichorem mitem, *alterum & posteriorem*, ichorem acrem.

DE ICHORE MITI.

16. *Hunc designat Philosophus per* αἷμα ἄπεπτον διὰ τὸ μήπω πεπέφθαι: *fit enim, dum calor non recte conficit alimentum, ab hepate attractum. Quod cum procul dubio aquosum sit, jure vocat idem* αἵματος ὑδατῶδες. *Ita autem loquitur, ut accommodare possit etiam alteri membro.*

17. *Est enim, ut* 3.Part.5. *se explicat,* αἷμα ἐξυγρανθὲν δι᾽ ἀπεψίαν, ἀδυνατούσης τῆς ἐν τοῖς φλεβίοις θερμότητος πέσσειν δι᾽ ὀλιγότητα, sanguis ob inconcoctionem dilutior, cum calor, qui in venis appensisque visceribus tam paucus est, ut percoquere non possit.

18. *Quamobrem etiam morbosum est, quia nihil aliud est, quam* φλέγμα καὶ ὕδωρ, διὰ τὸ ἄπεπτον εἶναι, καὶ ἀκράτητον

ὑπὸ τῆς φύσεως, pituita & aqua, quæ à natura concoqui & vinci non potuit. 4.Meteor.7.

10. *Hinc duo intelliguntur.* I. *Quæ sit* ἀπεψία, cruditas, *de qua heic sermo est? Scilicet quæ opponitur* τῇ πέψει, coctioni.

20. *II. Quid sit illud* 2.part.4. αἵματος χάριν, potentia sanguis, & gratia sanguinis, *ut Bonamicus explicat* 1.Alim.25. *Puta, non quod necessario omnem sanguinis generationem præcedat generatio ichoris mitis, ut quidam pertendunt: sed si contingat, fieri posse, ut accedente calore ichor hic coquatur in sanguinem.*

21. *Fit autem frustratio hæc, vel ratione efficientis, vel ratione materiæ.*

22. *De* efficiente *loquitur Philosophus* 3.part.5.De materia 4.Meteor.7.

23. *Gal. etiam* 2. Acut.30. *de materia agit, docens*, Pituitæ generationem *in pituitosis cibis semper antecedere sanguinis generationem, eaque intercedente ex cibis hujusmodi fieri sanguinem. Et* 8. Sent. Hipp.6. pituitæ ortus, *inquit*, ex alimento est, natura frigidiore, cum ab insito calore non bene concoctum est.

24. *Et hoc (quod liceat mihi addere) quomodo consonat alteri illi dogmati.* 2. Fac. nat.9. 8. sen. Hipp.6. 2. Acut.44.8 in 6.

in 6. Epid. 7. 2. Elem. 2. *pituitam hanc ſemper gigni in omnibus hominibus, & mutari denique in ſanguinem? Accepiſſe autẽ videri poteſt ex Ariſtotele* 1. Gen. 18.

25. *Sed quomodo poſteriora quadrant ad priora? Si neceſſe eſt, pituitam mutari in ſanguinem, antequam nutrit: certe ſanguis nutrit, non pituita.*

26. *Ne putes ſub nube me latere velle, Sunt allata loca omnia de illa pituita, quæ in hepate & venis fieri dicitur: non de illa, quæ in ventriculo & inteſtinis. Hanc enim ex ſola materiæ neceſſitate fieri ſcimus,* 1. Nat. hum. 39. 5. uſ. part. 4. 2. Hum. 30. *& vacuari quotidie per alvum, ut tum* in de uſ. part. *tum* 2. Fac. nat. ult. verb. *docetur.*

27. *Et cur eodem nomine dicitur pars ſanguinis, & excrementum ſanguinis? Quia ejuſdem temperamenti ſunt,* ajunt. *At contraria ſunt,* 4. part. 2. *& non magis unum nomen participare poſſunt, quã nix & alba dici poteſt & nigra.*

28. *Pars igitur ſanguinis frigida & humida non eſt pituita, quia alit abſque ulteriore elaboratione* 2. Acut. 44. *Pituita, quæ revera eſt pituita, non alit, quia quotidie vacuatur. At ichor Ariſtotelis alit, ubi reliquum perfectionis acceſſerit,*

ut ex 2. Acut.44. *loqui licet. Sola itaque illa apud Gal. pituita hoc nomen meretur, quæ fit, cum natura frustratur voto, vel ob materiam, vel ob efficientem.*

29. *Veterum quidam (post Aristotelem, credo) videntur appellasse ichorem hunc* χολὴν ἐρυθρὰν, bilem rubram. *Hoc persuadet mihi,*

30. *I. vox ipsa.* Ερυθρὸς *enim solus est sanguis.* 1. in 3. Epid. 16. 1. Cris. 12. de Tum. p. n. 2. de Atrab. 2.

31. *II. Autoritas Gal. ait enim* de Atr. ἐγγὺς εἶναι αἵματι λεπτῷ κατὰ τὴν σύστασιν, consistentia propinquam esse tenui sanguini.

32. *Atque ut ne Hollerius* coac. sect. 2. com. 1. l. 1. t. 14. & alibi, *fidem tibi faciat, esse bilem naturalem, quæ & ὠχρὰ, ξανθὰ, & πυῤῥὰ, & forte aliter dicitur: expresse ait idem* 5. in 6. Epid. 14. αἵματος ὀῤῥὸν, sanguinis serum *esse.*

33. *Amplius, ut plane scias, ad utrum ichora referre debeas* ὀῤῥὸν *hunc, explicat se* 2. Prog. 27. 1. Cris. 12. *tribuitque ichori miti, ut infra patebit.*

34. *Si scire cupis, bene an male fecerint hi, (qui, inquam, bilis vocabulum tribuerunt sanguini, de quo ago) dicetur tibi, Male fecisse. Bilis enim est simpliciter*

excrementum : ſanguis hic crudus, non eſt.

35. *Et ineptum eſt Argumentum, quo utebantur : Non concreſcit, ut bilis, Ergo eſt bilis. Nam neque pituita neque melancholia concreſcunt, ut Gal. docet* de Atrab. 2.

36. *Sed cur non concreſcit ſanguis hic? Ob defectum fibrarum, ut colligere eſt ex Philoſopho* 4. Meteor. 7. 3. Hiſt. 6.

37. *Quando igitur ſanguis etiam quidam non concreſcit : præſtat manere cum Ariſtotele, & Ichorem vocare, aut cum Gal. ſanguinem crudum etiam pituitam, ſi intra cancellos præſcriptos manere velis.*

38. *Docet enim is* 5. Loc. aff. 7. *Cum laborat hepar intemperie frigida & humida, affici ſanguinem, non illum tantum, qui in hepatis ſubſtantia eſt: ſed & illum, qui per vaſa Meſaraica affluit, verum diverſimode. Qui enim ſtagnat, evadit* παχὺς, καὶ δύσρους, καὶ δυσκίνητος, craſſus & difficulter loco mobilis: *qui affluit,* φλεγματικὸς, καὶ ὠμὸς, καὶ ἡμίπεπτος, pituitoſus, crudus & ſemicoctus eſt.

39. *Morbum hunc ſubito ſequitur ſymptoma actionis læſæ in hepate. Læditur autem actio vel retentricis tantum, vel*

retentricis & alteratricis ſimul, 1. Cris. 12.1. Prorrh.2.

40. *Et læditur actio, Non* abolite : *ſignificat enim hepar. Non* depravate : *fit enim ſanguis , non alius quidam humor. Sed* diminute : *fit enim ſanguis* ἡμίπεπτος, *ceu dictum eſt, qui , ut* 8. κ. τόπ 6. *deſcribitur , eſt* οἷον ὑπογραφὴ τοῦ αἵματος , quaſi prima delineatio ſanguinis , *quia fit* μήπω μεγάλην ἀτονίαν ἔχοντος τοῦ ἥπατος, ἀλλ᾽ ἔτι πέσσειν καὶ μεταβάλλειν δυναμένου , nondum ad magnam debilitatem deducto hepate, ſed valente adhuc coquere & alterare.

41. *Propterea* ll. cc. *nec non* 3. Sympt. cauſ. 2.1. Prorrh.2. *comparat hunc affectum hepatis cum illo ventriculi affectu, qui* lienteria *dicitur. Quemadmodum enim ventriculus in hoc malo coquit quidem, ſed antequam perfecte coxit , expellit : ita hepar ſic affectum coquit quidem, ſed non perfecte. Fit enim ſanguis ſemicoctus, qui, ſi accurate loqui velis, potius eſſet* χυλὸς αἱματώδης , chylus ſanguineus, *quam ſanguis, ut in* de κ. τόπ. *ait, Tamen* εἴ τις ὑδατῶδες αἷμα εἴποι, καὶ οὗτος ἐμοὶ δοκεῖ σαφῶς ἑρμηνεύειν αὐτὸ, ſi quis aquoſum ſanguinem dixerit, & is mihi clare loqui videtur, *inquit* in de Sympt.

Appel-

42. *Appellant hunc morbum ἡπατικὸν, & illos, qui ita ſunt affecti, ἡπατικοὺς, quemadmodum omnes eos, qui citra manifeſtum aliquod malum læſas habent actiones hepatis, docente Gal.8. κ.τόπ. 6, Ejus nominis rationem reddit idem* in de Loc. aff. *quod mutata ſit temperies primorum corporum.* Ea enim mutata, *inquit*, mutatur eſſentia hepatis.

43. *Plerique horum, qui ita affecti ſunt, fiunt tandem* hydropici. *Scribit enim Hipp.*6. Epid.1. t.6. *ὑδατανούσας dici eas mulieres, quæ ſanguinem habent aquoſum, quo non recte purgato, intumeſcunt, quod eſt, ut Valeſius ibi explicat,* fiunt hydropicæ.

44. *Et recte quidem: nominat enim eundem morbum idem Hipp.* l. de ſuperfæt. 8. *cum earum gravidarum ſanguinem ait ἐξυδατωθῆναι, quæ cavos habent oculos, faciem, pedes, totum corpus tumidum, non ſecus ac leucophlegmatici.*

45. *Prodit autem fere ſe affectus dejectionibus talibus, ut Gal. noſter* in ſupra laudato de Loc. aff. *docet, ubi vocat ἰχῶρας λεπτοὺς καὶ αἱματώδεις*, tenues & aquoſos.

46. *Hæ dejectiones, ut Galeno vetuſtiores* (*ipſo ſcribente* in de Sympt. cauſ.)

com-

comparar unt, ſimiles ſunt πλύματι κρεῶν, loturæ carnium. *Præſtaret autem, inquit ipſe,* οὐχ ἁπλῶς οὕτω λέγειν, ἀλλ' εἰς ἀκρίβειαν τῆς εἰκόνος, ἐναίμων τε καὶ νεοσφαγῶν προστιθέναι. non ſimpliciter ita dicere, ſed, ut ſimilitudo exactior ſit, addere, cruentarum & recens mactatarum.

47. *Hoc facit* in de loc. aff. *cum ait. In hoc affectu* διαχωρήματα εἶναι οἷον νεοσφαγῶν κρεῶν πλύμασιν ἐοικότα. Dejectiones eſſe quodammodo ſimiles loturæ recens mactatarum carnium. *Et* 8. κ. τόπ. 6. *inquit, ſanguinem hunc eſſe talis conſiſtentiæ,* καθάπερ εἴ τις ὕδατι κεράσειεν αἷμα, ac ſi quis aquæ miſceret ſanguinem, *aut,* ὡς ἂν νεοσφαγοῦς ἱερείου τὰ κρέα ἀπολούσειε τις ὕδατι, ac ſi quis carnes recens mactatæ victimæ ablueret aqua.

48. *Sed quod addere oportet heic, & monet ipſuſmet.* 5. Loc. aff. 7. his, & inſuper l. 6. c. 2. *Ab initio tantum abit ille* λεπτὸς ἰχὼρ αἵματος, tenuis ichor ſanguinis, *ille, inquam, quem* l. 5. *vocarat* φλεγματικόν. *&c. Poſtea enim aucto malo pellitur* χυμὸς παχὺς, οἴνου τρυγὶ παραπλήσιος, humor craſſus, vini fæci non abſimlis, *videlicet, qui ſtagnare dictus eſt.*

49. *Hinc* (*ut redeam in viam*) *inter tres cruentas dejectiones, quæ dyſenteriæ*

non

non ſunt, ſed putantur, in de Loc.aff.*toties citato,* 3. Caus. Sympt. 2. 4.Artic. 40. *numeratur humoris hujus ſeceſſio.*

50. *Habent autem tales ſeceſſiones gradus quoſdam coloris, quibus à ſe invicem dignoſcuntur. Hipp. enim cum locutus eſſet,* 1. Prorrh. 2. *de* περιπλύσει κοιλίας ἐξερύθρῳ, de fluore alvi prærubro, *& addidiſſet Gal. contingere hanc in hepate, ut in ventriculo contingit lienteria:* Διὰ τοῦτο, *inquit Galen.* πότε μὲν αἱματώδεις γίνονται διαχωρήσεις, ἐνίοτε ἐξέρυθροι περιπλύσεις, ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἥπατος ὑδατώδους καὶ αἱματώδους ἰχῶρος εἰς τὴν γαστέρα συῤῥέοντος, propterea contingunt aliquando vere ſanguineæ dejectiones, aliquando proluvies prærubræ, cum ex ipſo hepate aquoſus & ſanguineus ichor in ventrem confluit.

51. *Hæc ſententia cum bis repetatur in Coacis apud Holl.* ſect.1.com.1.lib.5.t.31. κακὸν δὲ κοιλίας περίπλυσις ἐξέρυθρος, mala etiam proluvies ventris prærubra, *& iterum* Sect. 3. lib. 3. t. 99. ἐξέρυθρον ἐν περιπλύσει διαχώρημα, φλαῦρον, prærubrum in ventris proluvie excretum, pravum: *miretur aliquis, cur diſtinctionis Galenicæ, adeoque cauſæ diſtinctæ non meminerint commentatores?*

52. *Quicquid fuerit, certum est ex his Gal. affectionem, de qua sermo nobis est, indicari dejectionibus,* non ἐρυθροῖς, rubris, *quas* αἱματώδεις, sanguineas, *appellat ipse:* sed ἐξερύθροις, prærubris. *An apud Hipp. hæc non tam accurate distinguuntur?*

53. *Quod enim jam addendum est, prodit se hæc ipsa affectio non dejectionibus tantum, sed & urinis. Hermocrates enim* 3.Epid. *cum febricitaret, cum levi hepatis obstructione, urinas habebat* παχείας καὶ ἐρυθρούς, crassas & rubras, *quas Gal.* Com. 1. ægr. 2. *ait fuisse easdem, quas* ὑπερύθρους, subrubras, *vocarit* in Progn. *& explicat* περὶ αἵματος ἀπεπτοτέρου καὶ ὀῤῥωδεστέρου, de sanguine crudiore & serosiore.

54. *Locus est* 2.Progn. 27. *ubi urinas* ὑπερύθρους, subrubras, *expresse iterum refert ad* αἵματος ὀῤῥὸν, *quem ait esse* αἷμα ὑγρότερον καὶ ὀῤῥωδέστερον, ὅς δὲ χρήζει πέψεως sanguinem humidiorem & serosiorem, qui ampliore indigeat coctione.

55. *Geminus est locus* 1.Cris.12. *Agens enim de iisdem urinis, citatoque eodem Progn. loco, tales ait facere* αἵματος ὀῤῥὸν, *quem (addit) esse* αἷμα μὴ ἀκριβῶς πεπτόμενον, ἀλλ' ἔτι ὀῤῥῶδές τε καὶ ὑγρὸν,

εἰς πέψιν χρόνου δέον, ſanguinem nondũ perfectè coctum, ſed ſeroſum adhuc, humidumque, qui tempore longiori opus habeat ad coctionem.

56. *Quamobrem Hipp. etiam de ejuſmodi urinis ait,* πολυχρονιώτερον μὲν τοῦτο, σωτήριον δὲ κάρτα, diuturnius quidem hoc eſt, ſed valde ſalutare. *Nimirum, ſi vires ſuppetant ad coctionem. Diſtinguit tamen Galenus* 2.Prorrh.25. *facitq; gradus quoſdam hujus quoque coloris, qui huic ſanguini eſt proprius. Ait enim,* τὰ οὖρα ὑπέρυθρα, urinas ſubrubras *tantum ſignificari heic, quod* τὰ ἐξέρυθρα, præru-bræ, *denotent extremam cruditatem,* τὰ ἐρυθρὰ, rubræ, (*qua tamen voce utitur autor libri de Vrinis, Gal. adſcripti, c.22.*) *medium quid inter utraſque. An dejectionum par eſt ratio?*

57. *Verumenimvero oportet hunc affectum diligenter diſtinguere ab affectu quodam alio, qui eſt modo in vaſis emulgentibus tantum, modo in renibus. In emulgentibus eſt, cum ipſa quidem ſunt patentiora, ſanguis autem* ὑγρὸς, liquidus, καὶ μήτε πολὺς, μήτε γλίσχρος, & neque multus, neque lentus ſeu fibroſus; οὕτω γὰρ αἱματῶδες γίνεται τὸ οὖρον, ſic enim ſanguinea fit urina, *ut loquitur Gal.*1.

in 6.Epid.6. *In renibus est, cum accidit ipsis analogon quid ei, quod hepati debili accidere in* περιπλύσεσι τῆς κοιλίας *dictum est. Tunc enim exeunt* οὖρα ἐξέρυθρα, πρὸς ἁπάντων καλούμενα αἱματώδη, urinæ prærubræ ab omnibus dictæ sanguineæ, *ut Hipp.* in explicat. *Gal.* 1 Prorrh. 13.

58. *Quemadmodum autem illi dicebantur* ἡπατικοὶ, *ceu comprehensum est antea: ita hi dicuntur* νεφριτικοὶ, *ob eandem causam, ut ex hoc ipso Prorrhet. loco colligere est.*

59. *Vtriusque causæ meminit Gal. simul* 6.Loc. aff.3. *cum ait,* Esse affectum quendam renum, in quo λεπτὸς ἰχὼρ αἵματος οὐρεῖται, τοῖς ἐπὶ τῶν ἡπατικῶν παθῶν ἐν ἀρχῇ γιγνομένοις διαχωρήμασιν ὁμοίως, tenuis ichor sanguinis mingitur, non aliter, quam in affectibus hepaticis initio solet fieri de dejectionibus. Συμφαίνει δὲ τοῦτο, *addit,* καὶ διὰ παραπλησίαν μέν τινα διάθεσιν ἐν νεφροῖς γινομένην, οἵαν ἐν ἥπατι τὴν τῆς ἀτονίας ἔφαμεν εἶναι, καὶ δι' εὐρύτητα δὲ τῶν ἐκ τῆς κοίλης φλεβὸς εἰς τοὺς νεφροὺς διηθέντων στομάτων, Accidit autem hoc vel ob dispositionem quandam, non dissimilem illi, quam in hepate ἀτονίαν diximus, vel ob amplitudinem orificiorum illorum, quæ ex vena cava colant urinam in renes.

60. *Dicis, nullane distinctionis ratio affectuum tam sibi vicinorum? Immo vero: Tradit illam Gal. ib. cum ait,* πλὴν ὅσον αἱματωδέστερον ὀλίγῳ φαίνεται, nisi quod in renum malo sanguis est crassior. *Ita enim intelligo, quod præsupponam, Hepar heic non deesse officio suo. Tum vero (cum, inquam, sanguis est laudabilis) non potest non ichor esse crassior.*

61. *Sed hæc obiter, ne quem vicinia fallat. Prodit se etiam aliquando affectus ille hepaticus in fœminis, non per* καλούμενον ῥοῦν, 3. Hist. 19. *quem nostri profluvium menstruum vocant, sed per profluvium muliebre. Cum enim omnis generis humores, in corpore acervati, fluere possint: fluere aliquando* αἷμα ὑδατώδη, sanguinem aquosum, *constat ex* 6. Loc. aff. 5. *Et ne dubites,* αἵματος ἰχῶρα, ichorem sanguineum, 3. Caus. sympt. 4. *vocat.*

62. *Prodit quinetiam se per alias vacuationes, v. g. hæmorrhagias & hæmorrhoidas, ut ex* 3. Hist. 19. *colligo.*

63. *Tandem prodit se per sudores sanguineos, quos ab hoc eodem sanguine fieri, non tantum* Hist. l. c. & 3. Part. 5. *docet Aristoteles, sed & discipulus Theophrastus l. de sudoribus.*

64. *Et hic est* Ichor mitis *Aristotelis.*

Is propter ſimilitudinem trahit ad ſe alios quoque humores. De ſanguine cervorum, damarum, aliorum animalium, qui ob paucitaten fibrarum difficulter ſpiſſatur, ut eſt 4.Meteor.7.3. Hiſt.6.2. Part.6. *non eſt dubium, comparatione cum aliorum ſanguine, dici poſſe* ἰχωροειδῆ. *Nam & ſanguis juvenum, collatus ſanguini ſenum, dicitur ita,* Hiſt.19.

65. *De ſanguine Melancholicorum conſentio Valleſio* 2.in 6.Epid. 32. *dici illum ab Hipp.* ἰχωροειδῆ καὶ λεπτὸν, ichoroſum & tenuem. *Vt enim alibi fuſe oſtendi, Melancholici, tam in latitudine ſanitatis, quam in morbis, abundant excrementis tenuibus multis, quorum conſideratione dici poteſt ſanguis illorum talis. Quæ cauſa fuit Ariſtoteli, ut* ὑδαρῆ, aquoſum, *vocarit* 9.Probl. 5. *Interim & craſſa excrementa habent multa, quorum merito tam rebelles ſunt morbi Melancholicorum.*

66. Τὰ λοχεῖα *dicta eandem pene naturam habent. Quæ enim ab initio eunt aquæ, ut vulgus vocat, vocantur à Philoſopho* 7. Hiſt.7. ὑγρότητες ὑδατώδεις, καὶ ἰχωρώδεις ἢ αἱματικαὶ, humiditates aquoſæ & ichoroſæ, ſeu ſanguineæ : *diſtinctius* cap.9. *in maſculis quidem* ἰχῶρες ὑδω-

ὑδωρεῖς καὶ ὕπωχροι, ichores aquosi & subflavi; *in fœminis autem* αἱματώδεις, ὑχοὶ δὲ καὶ οὗτοι, sanguinei, sed & illi aquosi. *Sunt autem hi ab illo sanguinis vehiculo, cujus ope sanguis pervenit, quo debuit. Verumtamen, quia postea succedunt crassa, (fere collecta in placenta dicta uterina) Hipp.* l.1. de nat. pueri, *non tantum* ἰχῶρας *vocat simpliciter, aut* ὕδρωπας αἱματώδεις, ichores crassos sanguineos.

67. *Ab eventu quoque aliquo sanguis, cæteroquin laudabilis, fieri potest tam tenuis, qualis est ichorosus. Hinc Aristoteles* 10. Probl. 2. *causam reddens, cur homo præ cæteris animalibus maxime laboret hæmorrhagiis? Ob cerebri, inquit, humiditatem, copiamque excrementorum, quibus sanguini ammistis,* ἐστὶ καθάπερ ἰχὼρ degenerat in ichorem. *Ita* 2. Part. 7. *docet, in quibus cerebrum est justo frigidius, in iis fieri* ῥεύματα φλέγματος καὶ ἰχῶρος, fluxiones pituitæ & ichoris. *An potius ipsam tenuem pituitam destillantem intelligit?* Nam Gal. 7. Us. part. 7. *vocat illam* ὀῤῥὸν οὐ χρηστὸν φλέγματος, serum pituitæ non bonum.

68. *Ni fallor, utrumque habet locum. Videmus enim in continentibus pluviis,*

qui-

quibuſdam contingere hæmorrhagias, humectata & fluidiore reddita tota ſanguinis maſſa: quibuſdam deſtillationes eſſe moleſtas, ſecreta parte illa aquea.

69. *Pertinet huc quoque excrementum tenue ulcerum ſimplicium. Gal. enim* 3. Meth. 3. *vocat* ἰχῶρα, *ad differentiã craſſi, quod* ῥύπος, ſordes. *Gignitur autem utrumque ob partis ulceratæ debilitatem, & eſt id, quod facit, ut omne ulcus, qua ulcus, deſideret ſiccantia.*

70. *Hic ichor, prout pars ſeipſa fit quotidie fortior, & magis coquit, diſtinguit tempora dictorum ulcerum.* Πρῶτον μὲν γὰρ ἰχῶρες ὑδατώδεις ἄπεπτοι καὶ λεπτοὶ ῥέουσιν ἐξ αὐτῶν· εἶθ' ἑξῆς ἐλάττους τε καὶ παχύτεροι, κἄπειτα ἤδη πῦον λεπτὸν, primũ namque effluunt ex illis ichores aquei, crudi & tenues; deinde pauciores, ſed craſſiores, poſtea jam pus tenue, *ex* l. de tot. morbi temp. 3. *Hac de re etiam loquitur* 2. Accut. 44.

DE ICHORE ACRI.

71. *Hunc intelligit Ariſtoteles per* τὸ αἷμα ἄπεπτον διὰ τὸ διοῤῥοῦσθαι: *fit enim dum calor ſanguinem colliquat & diſſolvit. Quo tempore cum corrumpatur eſ-*

ſentia

ſentia ipſius, non immerito mutat τὸ διωῤῥῶσθαι *in* τὸ διεφθάρθαι.

72. *Eſt enim, ut Gal. explicat* 3. Cauſ. ſympt. 2. οἷον ἀναστοιχείωσις, ἢ σύντηξις, ἢ ἀνάλυσις. *Cum enim ſit* ἀνάλυσις, reſolutio, *ſit illa fere in partem tenuem & craſſam. Fit autem per* σύντηξιν, colliquationem, *quæ prorſus eſt præter naturam, ut docet Philoſophus* 1. Gen. 18. *Hæc colliquatio quia deſtruit compoſitum videtur introducere novam* στοιχείωσιν, elementationem, *ut ſic dicam, quod ex uno fiant duo. Heic enim ichor eſt: illeic pars craſſa.*

73. *Hinc duo intelliguntur. I. Quæ ſit illa* ἀπεψία, cruditas, *de qua heic ſermo eſt. Nempe, quæ opponitur* τῇ πεπάνσει, maturationi.

74. II. *Quid ſit illud* in de part. ἐξ ἀνάγκης, ex neceſſitate? *Si enim contingat talis in corpore diſpoſitio, qualis dicta eſt, non poteſt non abundare corpus ichore acri.*

75. *Contingit autem vel toti corpori, vel parti alicui ſoli.*

76. *Cum toti corpori, eſt illa colliquatio* πότε μὲν τοῦ σώματος, πότε δὲ τῶν ἐν φλεψὶ μόνον χυμῶν, nunc quidem corporis, nunc autem contentorum tantum in

venis

venis & arteriis humorum, *ut* in de cauſ. ſympt. *dicitur*.

77. *Cum colliquatur corpus, ſeu, ut mox ſe explicat, genus carnoſum, ſiquidem craſſum ſit, quod liquatum eſt, ad ventrem illud abit, eaque via eiicitur: ſin tenue, per ſudores vacuatur, ut docet Gal. h.l. An non aliquando etiam per urinas it? An non etiam inſenſibiliter vacuatur? Ipſe n.* 1.Artic.30. *jubet in talibus colliquationibus* εὐλύτους ἐργάζεσθαι ἁπάσας τὰς ἐκκρίσεις, *fluidum facere totum corpus.*

78. *Cum colliquantur humores in vaſis, non colliquatur aut ſanguis, ſpeciatim ſic dictus à Medicis, aut pituita, aut alterutra bilis, quod quidam volunt: ſed (ut partim arguit modus loquendi, quo Gal.* h.l. de ſymp. cauſ. *utitur, partim aperte docet ipſemet* 2.in 6. Epid.38.) *tota maſſa ſanguinea, quæ aliquando ſanguis ſimpliciter dicitur, aliquando cum additione, pituitoſus, bilioſus, melancholicus.*

79. *Hinc petuntur differentiæ ichorum acrium. Quidam enim dicuntur ſanguinei, quidam pituitoſi, quidam bilioſi, quidam melancholici. Et rurſus, horum alii boni ſunt, alii mali.*

Si

80. *Si enim ſanguis bonus colliqueſcat, fit ichor ſanguineus, qui Gal.* Epid.l.c. *dicitur* χρηστὸς, bonus, *Platoni in Timæo, quem ipſe laudat,* πρᾶος, mitis: *ſin ſanguis melancholicus, fit ichor melancholicus, qui dicitur* φαῦλος, malus, *Platoni* ἄγριος, ferus.

81. *In utriuſque hujus medio eſt, ut Gal. tradit ib. ichor pituitoſus & bilioſus. Qui enim ex ſanguine pituitoſo fit, quam proxime accedit ad clementiam ichoris ſanguinei: qui ex ſanguine bilioſo, affinior eſt diritati ichoris melancholici.*

82. *Omnes hi revera ſunt, ut Gal. loquitur,* ὑδατώδεις, aquei, ἀλλὰ μετά τινος ἰώδους καὶ κακοήθους δυνάμεως, ſed cum facultate quadã acri & erodente, qualem ærugo habet, (ita enim malo deſcribere: quia Gal. ipſe ſubito explicat per τὸ δακνώδη καὶ διαβρωτικὴν) malignaque: *quidam tamen dicuntur boni (inquit) aut mites, non ſimpliciter, ſeu facta comparatione cum ſanguine naturali, ſed compoſitis ipſis inter ſe. Ibi enim cum alius alio ſit minus malignus, ſeu, ut ipſius verbo utar,* χαλεπὸς: *ille, qui omnium minime talis eſt, dici poteſt bonus aut mitis. Ita enim homines vocare ſolent bonum, quod minus malum eſt.*

Has

83. *Has differentias licet verisimile sit proportione quadam esse etiam in ichoribus ex carnis colliquatione: Gal. tamen* 8.Sent.Hipp.6. *videtur velle, omnis carnis eandem esse colliquationem. Ait enim, ex carne colliquata factum* σύντηγμα, ὅμοιον εἶναι τῇ χροιᾷ τῆς ὠχρᾶς χολῆς, ἐπὶ τὸ λευκότερον ῥέπον, ὡς εἶναι τὸ καλούμενον ὕπωχρον πυῤῥόν. Ἐστὶ δὲ καὶ παχύτερον τὸ σύντηγμα τοῦτο τῆς ὠχρᾶς χολῆς καὶ δυσωδέστερον, καὶ τινὰ γλισχρότητα πολλάκις ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ λιπαρότητα, colliquationem carnis similem esse colore pallidæ bili, ad albedinem quandam tendentem. Sæpe tamen numero esse crassiorem pallida bile, & putidiorem, cum quadam tenacitate & pinguedine.

84. *An distinctionem facere licet cũ* Gal. 4.Acut. 112. *inter* σύντηξιν, καὶ σύγκαυσιν, *& dicere,* Σύντηξιν *quidem proprie dictam esse vel sensibilem, qualis in febribus ardentibus est, & pestilentibus, cum pinguedo & caro recens coacta diffluit* Acut. l.c. 1.Artic.30.2. Progn. 21. 2.Humor. 25. *vel insensibilem, qualis in hecticis est, & marasmodesi, cum ob calorem perit ægro corpus: Improprie autem, quæque* σύγκαυσις *potius sit, cum sit illa* οἷον ἀναστοιχείωσις, *de qua nobis est sermo?*

Quic-

5. *Quicquid ſit, ratio videtur ſuade-*
re, etiam in colliquatione carnis dari dif-
ferentias tales aliquas. V.g. ſi habitus
ſit pituitoſus, quidni colliquatio ſit pitui-
toſa? Fieri autem poſſe in hoc tempera-
mento, arguerit aliquis ex præcedentibus.

6. *Ergò ſi accidat tale quid in humo-*
ribus, quo deponit Natura? Galenus loco
toties citato docet, ſi craſſum ſit, quod li-
quatum eſt, ad ventrem ire, ut ibi: ſin
tenue, ad urinas. Si tamen renes non tra-
hant, ut debent, fieri ἐξαιφνιδίους ὑδερώ-
δεις καταςάσεις, ſubito intumeſcere vel
abdomen ſolum, vel totum corpus hy-
dropicum in modum.

7. *An craſſum illud conſtituit aliquan-*
do τὰ μοχθηρὰ χυλώδη, prava bilioſa, *quæ*
opponit τοῖς καλοῖς, naturalibus, ut ego
intelligo, 3. Acut. 12. *Certe, ſunt* ἄκρατα,
mera, *qualia* τὸ πίπαν ἐπέρχεται ἐν τοῖς
συντηκτικοῖς πυρετοῖς, ut plurimum ſece-
dunt in febribus colliquativis, *ut ib.*
docet Gal.

8. *Dicit autem* τὸ πίπαν: οὔτε γὰρ ἄκρατα
χολώδη ἐν μόνοις καύσοις (*ita enim le-*
gendum eſt) ἐκκρίνουσιν αἱ γαστέρες, οὔτε
σύντηξις ἐν μόνοις τούτοις, ἀλλ᾽ ἔστι μὲν καὶ
ταῦτα συμπτώματα κακοηθῶν τε καὶ διαφ-
θορῶν πυρετῶν, *addit idem* 2. in 3. Epid. 34.

mera biliosa excernere non fit tantum in causis, neque etiam in his solis fit colliquatio: sed apparent talia symptomata etiam in febribus malignis, quæque calorem habent non adeo intensum. *Ita enim videtur mihi exponendum, τὸ διακαῶν ex illis, quæ sequuntur,* τὰς τοῦ πυρετοῦ θερμασίας ἀνέχονται, febrilem calorem satis bene ferunt. *Hoc docet etiam* 3.in 3.Epid. ægr.1. *Colliquationes in urinis fuisse, non ob malignitatem, sed ob febris vim.*

89. *Ex his lucem aliquam accipiunt, quæ* t.40. seq. *dicuntur,* ὠμὰ, ἔφη ὁ ἱπποκράτης, καὶ λεπτὰ, καὶ πολλὰ διαχωρούμενα τοῖς τότε καυσουμένοις γίνεσθαι, μήτε χολωδῶν ἀκρήτων, μήτε συντήξεων μνημονευούσας, ἅτινες οἴονται μέγιστα γνωρίσματα καύσων εἶναι πυρετῶν, q.d. Causorũ quidem maxima sunt indicia excrementa alvi biliosa mera, colliquationesve: non esse tamen propria seu παθογνωμικὰ, docet Hipp. h.l. cum ait, vacuata fuisse cruda, tenuia, multa. *An eadem cum his sunt* ὑποχωρήματα ἔξυγρα καὶ ὠχρὰ, excrementa liquida & pallida, *quæ in Causo legitimo agnoscit* 4.Acut.4. *Certe Gal. ait, per* ἔξυγρα *intelligere illum* τὰ μηδὲ ὅλως πεπέφθαι, quæ nullatenus concocta sunt. *Nimi-*

90. *Nimirum, prout est colliquamentum (crassum vel tenue) ita fiunt dejectiones vel biliosæ meræ, vel crudæ, tenues, multæ. Est autem σύντηξις heic, ut nuper distinxi, improprie dicta, cum qua coincidere posse proprie dictam, non repugnat rei naturæ. Quemadmodum ne illud quidem, Tenue colliquamentum non minus frequenter ire ad ventrem, quam crassum.*

91. *De quo ut amplius dicam, An αἱ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες,* meræ dejectiones, 7.Aph.6. *hoc est,* μόναι, καὶ μὴ ὀῤῥοῖς τισιν ἐξυγρασμέναι, non dilutæ ichoribus quibusdam, 2.Fac.nat. ult. *sunt idipsum crassum, de quo agimus? Tum enim Vall.* 3.in 3.Epid.2. *in historia restiarii recte dixerit, omnes vacuationes sinceras significare extremas intemperies, & magnas naturæ corruptiones.*

92. *An etiam hoc indiget restrictione? Videtur enim vere dici de dejectionibus solummodo symptomaticis, quæ, inquam, fiunt ante universalem morbi declinationem: non autem de criticis, quæ fiunt præsentibus jam signis coctionis. Hoc docet, ni fallor,* Coac. Aph. ult. διαχώρημα καθαρὸν ἐπιγινόμενον λύει πυρετὸν ὀξὺν μεθ' ἱδρῶτος, Dejectio sincera (sic enim in-

interpretor cum Foësio) superveniens febri acutæ cum sudore, solvit illam. *Si enim, facta secretione, crassum eat huc, tenue illuc, crisis est salutaris. Hujus rei exemplum est apud Valleriolam* 6.Obs.10

93. *Quid illud vero est, quod ait Gal. loco illo, si renes non faciant officium, fieri* ὑδερώδεις καταστάσεις? *Vt dubium non est apud peritos, quamvis dubium fuerit visum imperitioribus quibusdam, si renes trahant aquam, non subito fieri affectum illum, quem* ὕδρωπα εἰς ἀμίδα, hydropem ad matulam *vocat Gal.* 6.Loc. aff. 3.Diff. sympt.6. *Ita dubium est ingens apud maximos etiam Medicos, An* καταστάσεις *illæ* ὑδερώδεις *sint eædem cũ* διαθέσεσιν ὑδερικαῖς, ad Glauc.3?

94. *Ratio dubitandi est, cum constans sit Practicorum doctrina, tres vulgo receptas Hydropum species,* Asciten, Tympaniten, *&* Anasarcam, *esse ab uno & solo hepate refrigerato;* ὑδερώδεις *autem hæ* καταστάσεις *fieri possint ab aliis etiam partibus, & quidem à contraria intemperie, caliditate: an, salva Gal. autoritate, (hæc enim plerisque sola facit umbram) admitti possint hæ* καταστάσεις *in possessionem nominis Hydropis? maxime, quia ab alia causa sunt?*

Vidi,

95. *Vidi, qui omne contradictionis robur in duobus verbis ponunt. Cum enim* ἐξαιφνίδιοι, ſubitaneæ, *ſint apud Gal. hæ* καταστάσεις; *cum etiam ſint, non* ὕδεροι, ἀλλ' ὑδεροειδῆ, non quales vulgatæ Hydropis ſpecies, ſed quadantenus ſimiles tantum: *videtur concludendum eſſe, non pertinere ad hunc cenſum.*

96. *At vero cum Hipp.* 2. Progn. 1. Coac. ſect. 2. com. 1. l 6. Aph. 26. & ſeq. apud Holl. *deſcribat Hydropas quoſdam, qui ſunt* ἐκ τῶν ὀξέων νοσημάτων, ex morbis acutis, *cum Gal.* 6. Loc. aff. 1. *eoſdem affectus appellet* ὕδερος: *ne dubites, cum idem Hipp.* 1. Epid. 2. 1. 35. & 36. ἐκ κακῆς συντήξεως, ex mala colliquatione, *dicat factas fuiſſe dyſenterias, lienterias, diarrhæas, & hydropas; Galenus etiam ibi hos per* ὕδερος *exponat: quid muginamur?*

97. *Interim libenter illis concedo, ut Hydropas, qui fiunt* ἐξαιφνιδίως, ſubito, *diſtinguant ab illis, qui tractu temporis, tam propter curationem, quam propter prædictionem. Moneo vero inſuper, ne credant fieri tantum à cauſa calida, cum à frigida æque poſſint fieri, ut patet ex Gal.* de Loc. aff.

98. *Vidi alios, qui magnam fiduciam habent in eo, Hepar non eſt affectum: At*

N *Gall.*

Gal. in de Loc. aff. *studiosissime docet, non fieri Hydropem, nisi vel statim vel postea afficiatur Hepar.* Resp. *nullam esse necessitatem, cum Hipp. expresse dicat,* ἄρχονται δὲ οἱ πλεῖστοι μὲν ἀπὸ κενεώνων τῆς ὀσφύος, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ἥπατος, incipiunt plerique tales hydropes vel ab ilibus & lumbis, vel ab hepate, *quin signa etiam peculiaria tradat, prout fomes febris vel in renibus est, vel utero, vel in ventriculo, vel in jejuno, vel in hepate, vel in liene, vel in quacunque alia abdominis parte. Scilicet tam late patent* οἱ κενεῶνες *apud Gal.* in Progn.

99. *Hoc ergo ad minimum concedent, aliquando in his talibus affici hepar, vel ideo, quia non negant, Hipp.* in 7. Aph. 55. *loqui de gemino plane casu. Ibi enim cum hepar dicat* ὕδατος πλησθὲν, aqua plenum: *cur, si aqua illa in omentum erumpat, hydrops non sit? Nimirum,* ἀποθνήσκουσιν, moriuntur, *sic affecti, ut* in Aph. *loquitur: quia* κακοὶ, mali, *sunt hydropes tales, ut* in Progn. *ait, & distinctius* in Coac. ἐπίπονοι καὶ ὀλέθριοι, difficiles & lethales.

100. *Vidi rursus alios, qui dicunt, Hepar calidum non posse gignere aquam. Ego vero dico, Potest, siquidem de colliqua-*

quatione velis mecum loqui: at non potest, si alio traducas sermonem, ad aquam illam, seu pituitam, seu flatus, quos dicta tres vulgares hydropis species efficiunt.

101. *Iidem ex eodem fundamento dicunt, succedere posse hydropem morbis calidis, (postquam scilicet ab intemperie calida pessundatum est hepar) comitari non posse. At, verba sunt* ὁμοψήφου *vestri,* Peredæ 1. schol. in Paschal. 44. *In febribus ardentibus (etsi raro) etiam in principio visus est hydrops. Vidi aliquando, inquit Salius* l. de aff. part. c. 9. *factum in febribus, quæ naturam ardentium servabant, in quibus unica vel altera die vidi hos subitaneos hydropum status, &c. Ne dubites, Intra terminum morbi acuti, addit postea. Vidimus, inquit Iacotius* in Coac. *in febri, tertianæ intermittentis naturam referente, plerosque cum dolore ac tumore ventris quasi derepente oborto, &c.*

102. *Hinc intelligere possunt, quod alioquin inexplicabile est apud illos,* Quomodo calida simul in hepate intemperies esse possit, & frigida? *Non adest simul utraque: sed calida, quæ colliquanda facit aquas. Intelligere etiam alterum possunt, quomodo calida intemperies*

ita imminuat calorem nativum, ut præsente adhuc calore febrili, gignat aquam. Non gignit aquam, ut vos putatis, sed colliquat bonum sanguinem.

103. *Intelligere etiam possunt id, quod ex Gal. affertur* 2. Progn. 2. & de Loc. aff. *cum quo Stephanus Atheniensis in eundem Progn. locum, Caliditatem hepatis facere, ut chylus concoqui non possit; quam parum habeat roboris: Vere enim Salius ait, Caliditas chylum exurit; non facit aquam. Itaque fit aqua, non ex chylo, sed ex sanguine.*

104. *Quæ causa forte fuit Iacotio, ut dicat*, Hepar in hac Hydropis specie calore igneo torreri quidem & exsiccari, proprio autem destitui. Hinc fieri, ut ab excessu illo caloris humidum omne in flatus convertatur, qui à ventris frigore in ascitem concrescat. *Crederem, nisi obstarent hæc. 1. Calor nativus non differt numero ab igneo. 2. Novum est, (ab Averroë quippe inductum & Collig. 21.) flatus à calore igneo fieri. 3. Novum etiam est, tympaniten transire in ascitem: quod ideo nollem recepisse accuratissimum alias Th. à Veiga.* Com. in 5. Loc. aff. 6. *Sed & ipse postea Iacotius*

aph.

aph.31.*in biliosis metuit hydropem ex colliquatione totius corporis. Quin docet* l.7 aph. 7. ἐπάρματα περὶ κοιλίην, extumescentias ventris *in hydrope ex acuto morbo fieri posse ex colliquatione partium solidarum vi maligna febris.*

105. *At verba Gal. sunt* in eodem de Loc. aff. *Nisi ad jecur frigus perveniat, non subsequi hydropem? Sunt: sed de uno casu tantum, quando scilicet ex potu frigidæ aquæ fit. Alioquin ejusdem Gal.* ib. *verba sunt,* In ea hydropis specie, quæ ad acutos morbos sequitur, jecur calida, sæpenumero quoque sicca intemperie affici.

106. *Quo æquius fuerit laudare, quam reprehendere Alex. Trallianum, qui* l. 9. c.3. *docet, divinissimum Galenum (sic ille appellat) confessum esse, hydropem fieri quoque ex colliquatione. Quin addit, omnia, quæ præcesserunt morbum, & quæ nunc adsunt, observanda puto, ac ubi præsentem intemperiem internoveris, tum demum ad curationem audacter accedere, non autem vulgi opinionem sequi,* ὡς δεῖ τοὺς ὑδεριῶντας παντὶ τρόπῳ θερμαίνειν. οὐδὲ γὰρ ἐστι τοῦτο ἀληθές, quod omni ingenio calefaciendi sint hydropici. Neque enim hoc verum est.

107. *Huc Averroes it* l. c. *quamvis solum Tympaniten à calore juxta & frigore fieri, dicat. Propius Avicenna* 14. 4. tract. 4. c. 4. 8. & 12. *cum quo pene loquitur Alex. Benedictus* l. 15. Pract. c. 23. 26. & 30. *Omnem n. hydropa ab utraque causa fieri statuunt. Quin à calore solo omnem Asciten & Tympaniten Cardanus, Com.* in 1. Prognost. 2. *Argenterius*, Com. 2. in Artem, c. 78. & Com. in 4. Aph. 11. *Qui si non falluntur, ut plane mihi persuaderi patior, non erit tam gravis error, quendam hydropem frigida curari, ut Pereda putat. Cum enim (ne à proposito meo aliorsum eam, de reliquis non solicitus) Causorum præcipua curatio sit frigidæ potio, ut Gal. ait* 4. Acut. 12. *cur non utamur illa, si cætera respondeant? Si febres sint vehementiores, inquit* Trall. l. c. *refrigerantibus utendum est potius, quam vehementer ab illis timendum. Quomodo enim febris finietur, nisi à contrariis? Imo neq; hydrops cessaverit unquā nisi prius calor præter naturam desierit.*
108. *Forte etiam non ita absurdum erit dictu, alium quendam hydropem, præter leucophlegmatiam, admittere venæ sectionem, contra quam determinat Gal.* 4. Acut. 111.

Sed

109. *Sed hæc forte alius sunt loci. Vt igitur in viam redeam, An non, quemadmodum tenue colliquamentum non minus ad ventrem abit, quam crassum: ita idem illud tenue aliis quoque vacuatur rationibus, quam quibus dictum est?*

110. Sensibiliter *vacuari aliquando per* sudores, *docuerit aliquis ex Schegkio, qui* l. de sang. instr. *vinitorem se vidisse ait, qui ex colliquatione perpetuo diffluebat sudore.*

111. Insensibiliter *vacuari per* habitum, *docuerit pariter aliquis ex Gal.* 1. Artic. 30. *Agens enim ibi de corporum extenuatione artificiali, siquidem contingat (inquit) in ea colliquatio aliqua, & vacuetur per suas vias, quod vacuandum est; bene esse: sin intus maneat,* ὑπομυξώδεις τῷ χρόνῳ τὰς σάρκας ἐργάζεσθαι, *progressu temporis carnes fieri mucosas. Hoc maxime omnium accidere ait, si vacuatio succedat insensibilis tantum, neglectis aliis, &c.*

112. *Heic obiter illud moneo, si ex colliquatione totus habitus fieri potest mucosus, hoc est, ut ego intelligo, pituitosus; habitus autem pituitosus vel jam est, vel propediem erit leucophlegmaticus: quomo-*

do effugere possumus, hydropem quendam esse à caliditate?

113. *An idem colliquamentum tenue facere potest Arthritida, propriè accepto vocabulo, ut Hipp.* περὶ παθῶν *accipit, pro morbo acuto, quique non habet periodos, ut Viscerus* docet in θ. de arthritide? *Visæ enim sunt febres continuæ, (& vidit incomparabilis* SCHERBIUS *in nobili adolescente Noribergensi) per malam crisin desiisse in omnium articulorum dolores, qui postea non redierunt. Quamobrem idem Viscerus ita explicat Hipp.* 6. Aph. 28. 29. 30. *Eunuchi, mulieres bene purgatæ, pueri non laborant podagra: at laborare possunt arthritide.*

114. *Accidit autem aliquando, non dissimilis affectus, verum à dissimili causa, post dolores, inquam, colicos, nephriticos, ventriculi, partus, cum non succedunt* τὰ λόχια *dicta, &c.*

115. *Cum hac totali colliquatione analogiam quandam habet sudoris effusio, quippe quæ non fit, nisi* θερμανθέντος τοῦ σώματος καὶ τῶν φλεβίων ἀναστομωθέντων, calefacto corpore, & per calefactionem apertis vasis illis capillaribus, quæ ad cutim desinunt, *ut Arist. docet* 3. Part.

Qui

5. Qui non ſecus ac Theophraſtus alias libenter utitur voce τήξεως, liquationis.

116. *Quo habito fundamento, operæ pretium fecerint Practici, ſi vacuationi illi tenuium humorum interpoſuerint vacuationes craſſorum.*

117. *Habet & uſus medicamentorum diureticorum. Ab his enim* οὐ λεπτύνεται μόνον, ἀλλὰ καὶ χεῖται καὶ διακρίνεται τὸ αἷμα παραπλησίως τῷ γάλακτι, τοῦ μὲν ὀῤῥώδους καὶ λεπτοῦ ἀποχωριζομένου καθ' ἑαυτὸ, τοῦ δ' αὖ παχυτέρου συνισταμένου τε πρὸς ἑαυτὸ, καὶ ἀκριβῶς ἑνουμένου. Non attenuatur modo, ſed & funditur ac ſecernitur ſanguis, nõ aliter, quã in lacte fit, in quo, quod ſeroſum & tenue eſt, ſeparatur; quod craſſũ, cogitur in ſe, & exacte unitur; *ut Gal. loquitur* 5. Simpl. 13.

118. *Iam igitur & heic cauſa fuerit, cur vacuationem craſſorum non negligere debeant Medici ſi quando incidat longior horum medicamentorum uſus.*

119. *Fit denique aliquid ei non diſſimile, cum poſt exercitium laſſitudo ulceroſa ſeſe exhibet. Vt enim Gal. docet* 3. San. tu. 4. 4. San. tu. 2. 2. Simpl. 25. & alibi, *Tenuis & acris humor inania muſculorum ſpacia occupans, ſub cute latet,*

ibique pungens & rodens ſenſum ulceris affert, cum interim non pauca craſſa excrementa per alvum defluant. In eodem affectu eundem humorem tenuem decumbere aliquando ad articulos, diſcimus ex 4. Aph. 31. 7. in 6. Epid. 16.

120. *Sed ſatis de* colliquatione totius: *Cum* partem aliquam *occupat, fit illud vel cum, vel ſine materia, ut fere Medicis loqui mos eſt.*

121. *Cum* ſine *materia, dicitur* Intemperies calida ſicca, (*aliquando inflammatio ſicca*, 2. ad Glauc. 1.) *in qua, ut Gal* 8. *κ. τόπ.* 6. *exemplo hepatis docet, συντήξεις γίνονται, πρῶτον μὲν τῶν χυμῶν, εἶτα δὲ σαρκὸς αὐτῆς*, primo quidem colliquantur humores partis illius, poſtea autem caro proprie dictæ.

122. *Heic veriſimile eſt, fieri idem proportione cum eo, quod in toto fit,* Craſſum *ſcilicet ad ventrem ire*, (*ſi per via commoditatem liceat*) *& facere cruentæ dejectionis ſpeciem illam, quæ ſanguinis Melancholici* (*Galenus enim* in de cauſ. ſympt. *ait, fieri aliquando λόγῳ συντήξεως*, ad inſtar colliquationis) *eſt*, Tenue *autem vel per urinas, vel per ſudores, vel inſenſibiliter.*

Cum

123. *Cum* cum *materia, generali vocabulo dicitur* ἀπόστημα καθ' ὑπόθεσιν, abſceſſus cum decubitu, *ſpeciali* φλεγμονὴ, inflammatio, *comprehenſis ſub hoc nomine omnibus tumoribus calidis. Hæc vel interna eſt, vel externa. Et modo cum ulcere, modo ſine eo.*

124. *De inflammationibus ſine ulcere loquens Gal.* 5. Loc. aff. 7. *ait,* ἁπάντων τῶν φλεγμαινόντων μορίων, οἷς μηδὲν στέγασμα περίκειται πυκνὸν καὶ παχὺ, λεπτοὶ μὲν κατ' ἀρχὰς ἰχῶρες καταῤῥέουσι. Πεπτομένων δὲ τῶν φλεγμονῶν παχύτεροι καὶ πυωδέστεροι; ubicunque partes inflammatione laborant, niſi obſtet pars alia denſa & craſſa, ab initio quidem tenues ichores ab illis defluunt, poſtea vero quam coqui cœperunt inflammationes, craſſiores & puri ſimiliores. *Eadem pene verba de eodem negotio ſunt* 1. Aph. 12.

125. *Quo in loco, ſed clarius* 2. Progn. 50. *explicat id, quod de obſtaculo dixerat:* Διὰ τοῦτο, *inquit,* αὖ τε κατὰ τοὺς πόρους τῆς ῥινὸς, ἢ τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἢ τὸ στόμα, φλεγμονὴ γένηται, ἀποῤῥέουσιν αὐτῆς ὑγρότητες λεπταὶ, παραπλήσιαι τοῖς ἐπὶ τῶν ἑλκῶν ἰχῶρσι, quare (*vult dicere*) ubicunque obſtaculum non eſt, veluti in foramini-

bus

bus narium, in oculis, in ore, si ibi contingat oriri inflammationem, defluunt ab illa humores tenues, ichoribus ulcerum non dissimiles.

126 *Scilicet, fit heic ab igne animato, quod ab igne culinario fieri videmus in carnibus assandis. Semper enim aliquid destillat, ab initio quidem aqueum, postea liquescente pinguedine crassius, &c. Ejus rei vestigia qui vult in materia medica, adeat Gal.* 3. *κ. τόπ.* 1. *qua de medicamentis auricularibus Asclepiadæ, item* 4. *κ. τόπ.* ult. verbis, & 11. simpl. *qua de hepate caprino, de quo idipsum scribit Diosc.* l. 2. c. 38. *& Plinius* l. 28 c. 10. *ubi saniem (quem plerique etiam in versione τοῦ ἰχῶρος sequuntur) interpretatur, alii cruorem. Celsus* l. 6. de imbecillitate oculorũ, *sanguinem vocat.*

127. *Ex his jam prompte intelligitur,* Ichores *hos notare etiam tempora inflammationum.*

128. *Qua de re ne forte dubites, ecce tibi exemplum de pleuritide* ex Aph. l.c. ἀπεπτοτάτη, *inquit,* ἐφ᾽ ἧς ὅλως οὐδὲν πτύεται. Δευτέραν δ᾽ ἔχει τάξιν, ἐφ᾽ ἧς ἰχῶρες λεπτοί. Τρίτην δὲ, ἐφ᾽ ἧς παχύτεροι. Καὶ τέταρτοι, ἐφ᾽ ἧς εἰς τέλος ἐπέφθησαν; crudissima pleuritis est illa, in qua nihil omnino spuitur: ab hac secundum locum habet, in qua ichores tenues: tertium, in

qua crassiores jam: quartum, in qua omnino percocti sunt.

129. *Atque ut de inflammationibus etiam externis sis certus, ecce tibi ophthalmiam,* ex l. de tot. morb. temp. 3. Ἐν ἀρχῇ μὲν, *inquit,* ἀπορρεῖ πολὺ καὶ λεπτὸν, ἄπεπτον ἱκανῶς. ἐφεξῆς δὲ ἔλαττον, τε καὶ παχύτερον, ὑπογραφήν τινα τῆς πέψεως ἔχων. εἶτα δὲ ἐν τῷ χρόνῳ προϊόντι, τοῦ μὲν πλήθους μειουμένου, τῆς συστάσεως δὲ ἐπὶ τὸ παχύτερον ἰούσης, αὐξάνεται τὰ τῆς πέψεως εἰς τοσοῦτον, ὅς καὶ κολλᾶσθαι τὰ βλέφαρα τῶν κοιμηθέντων ὑπὸ τῆς γινομένης λήμης. In principio quidem defluit multum & tenue, idque valde crudum: postea autem minus, crassiusque, cum aliqua coctionis significatione: successu temporis, decrescente quidem copia, augescente autem crassitie, augetur simul coctio adeo, ut dormientibus ægris palpebræ à gramia conglutinentur.

130. *Quin, notant iidem ichores morbi ideam. Qua de re verba sunt manifesta.* Progn. l. c. *de peripneumonia: sed manifestiora* 5. Loc. aff. 3. *de peripneumonia juxta & pleuritide. Inquit enim:* Ὁ δὲ ἀποχεόμενος εἰς τὰ κενὰ τοῦ θώρακος ἰχὼρ, μεταλαμβανόμενος δὲ εἰς τὰς τραχείας πνεύμονος ἀρτηρίας, ἀναπτύεται μετὰ βηχός.

βηχὸς, ἐνδεικνύμενος ὁποῖός τις ἐστὶν, ὁ τὴν φλεγμονὴν ἐργαζόμενος χυμὸς, ἆρά γε πικρόχολος, ἢ μελαγχολικὸς, ἢ φλεγματικὸς, ἢ αἱματικὸς. ὠχρὰ γὰρ καὶ ξανθὰ πτύουσιν ἐπὶ τῷ πικροχόλῳ, μέλανα δὲ, ἐπὶ τῷ μελαγχολικῷ. τὰ δὲ ἀφρώδέστερα καὶ λευκανθοῦντα πτύσματα, τοῦ φλεγματικοῦ πλεονεκτοῦντος γίγνεται χυμοῦ. καθάπερ γε τὰ ἐρυθρὰ τοῦ αἱματώδους, effuſus autem in cavitatem thoracis ichor, aſſumtuſque in aſperas pulmonis arterias, cum tuſſi exſpuitur, indicans, Qualis ſit humor, qui inflammationem cauſatur? Puta, bilioſus, melancholicus, pituitoſus, ſanguineus? Pallida enim & flava ſpuunt, qui à bile laborant; nigra, qui à melancholia. Quæ autem ſpumoſa ſunt & albicantia ſputa, prodeunt abundante pituita, quemadmodum rubra, ſanguine.

131. *De inflammationibus cum ulcere, ſeu, ut* Medici *loquuntur, de ulceribus inflammatis, ait Gal.* l. Tum.p.n.2. Μεθ' ἑλκῶν ἐνίοτε μέγισται γίνονται φλεγμοναὶ, καὶ φαίνεται τις ἐκρέων ἰχὼρ ὑδατώδης λεπτὸς, αἱματώδους φαινομένου τοῦ περὶξ χωρίου, aliquando maximæ accidunt inflammationes cum ulceribus, videturq; tum effluere ichor aqueus tenuis toto circum-

circumcirca loco ſanguineo apparente.
132. *Idem* 3.Fract.3. *cum Hipp. dixiſſet, ex prava deligatione ulcus (præter alia) fieri lacrymoſum, & recedere oſſa, quæ alias receſſura non erant: addit, Vlcus lacrymoſum eſſe ulcus inflammatum, ex quo, non ſecus atque ex oculis inflammatis, fluat* ἰχὼρ λεπτὸς καὶ ἄπεπτος, ichor tenuis cruduſque, *quo non vacuato, oſſa corrumpi, & corrupta diſcedere.*
133. *Idem* 6.Meth.2.*de punctura nervi agens, non debere ait uniri ulcus, ut poſſint effluere ichores. Et* 2.*off. Med.*27.*deligationem in ulceribus fieri ait, ut ichores vacuari poſſint. Sed cur vacuari debent?*
134. *Ejus rei unicum ſufficiat exemplum. Scribit Hipp.* 5.Epid.100.*quod repetit* 7.Epid. *Mulierem in Abderis cancroſam mortuam eſſe; quod cohibuerit* ἰχῶρα ὕφαιμον, ichorem ſanguinolentum, *qui effluere ſolebat.*
135. *Quo magis deteſtandi ſunt Chirurgorum ſimiæ, qui de ſiſtenda aqua articulari, ut vocant, unice ſunt ſoliciti. Hanc detentionem quæ ſequuntur incommoda, videat, qui vult, apud Langium* 1.Epiſt. 1. & 3.Epiſt. in ſymposio Medico, *ubi ita exclamat:* O du elendes erdichte

Glied-

Gliedvvasser, vvie viel machstu Kruppel?

136. *Ne novum tibi videatur, audi Gal* 3.Fract.37. *Agens enim ibi cum Hipp. de procrastinatione in restituendis ossibus, (quidni enim illa huc asseram, cum eadem expellendorum ichorum sit ratio, adeoque inflammatio ut plurimum luxatis fractisque ossibus succedat?) docet, periculum esse, ne os sphaceletur.* Διότι, *addit,* ἡ ἐπίδεσις τῶν πεπονθότων μορίων, ἑκατέρως ἐκθλίβει τὴν περιουσίαν τοῦ αἵματος, ἐξ ἧς χρονιζούσης αὐτόθι, σήπεσθαι καὶ τοῖς ὀστοῖς ἐνίοτε συμβαίνει, διαβεβρωμένοις ἐπὶ πλέον ὑπὸ τῶν μοχθηρῶν ἰχώρων, Quia affectarum partium ligatura elidit utrinque superfluum sanguinem, quo diutius ibi morante non raro accidit, ut ipsa etiam ossa corrumpantur, exesa à pravis ichoribus.

137. *Hoc ipsum postquam docuit idem* 6.Meth.ult. ὑποκείσθω, *inquit,* βραχείων ἄχρι τοῦ μυελοῦ ῥωγμὴν ἐσχηκώς. εἶτα μηδεὶς αὐτὸν ἐπιδείτω νόμῳ καταγματικῷ, πᾶσα δήπουθεν ἀνάγκη τοὺς ἰχῶρας οὐκ ἔξω μόνον ὑπό τε τὸ δέρμα, καὶ τοὺς μῦς ἀθροιζομένους ἀλλὰ καὶ τῷ μυελῷ περιχεομένους, ἐκεῖνόν τε πρῶτον, καὶ μάλιστα σῆψαι,

καὶ

καὶ σὺν αὐτῷ τὸ σύμπαν ὀστοῦν, ὅπου γε καὶ νῦν, ἁπάντων προσηκόντως γιγνομένων, ἐστὶν ὅτε τοιαῦτα συμπίπτει, Ponatur, brachiũ esse fractum usque ad medullam, & nemo illud liget secundum artem, (*cap. praced.* 5. *expositam*) profecto necessarium prorsus est ichoras, non extus tantum sub cute collectos, musculisque, sed & ipsi medullæ circumfluos, primum quidem & maxime putrefacere medullam ipsam, deinde cum ipsa totum os. Nam & sic, quando omnia fiunt, quæ fieri debent, non raro id accidit.

138. *Ibidem, docturus necessitatem præcepti Hippocratici, quod est* l. de Loc. in hom. t. 43. apud Marinell. ἐὰν τὸ ὀστέον τῆς κεφαλῆς ῥαγῇ, καὶ ῥωγμὴ ἐγγένηται, ἐπικίνδυνον. τοῦτον πρίειν, ὡς μὴ κατὰ τὴν ῥωγμὴν τοῦ ὀστέου ἰχὼρ ῥέων, τὸν μήνιγγα σήπῃ, si os capitis frangatur, periculum est, ideo terebrare oportet, ne secundum fracturæ latera influens ichor corrumpat crassam meninga: *ait Terebrationem capitis successisse ligaturæ, quandoquidem caput non possit ita constringi vinculis, ut exprimatur ichor.*

139. *Quid igitur bonæ spei nobis superest, quando, post monstrum illud de retinen-*

tinendis ichoribus, tantum non periit plerisque omnibus nobis & artificiosa illa deligatura, & capitis terebratio?

140. *Et hæc quidem dicta etiam sint de* colliquatione partium, *nisi hoc fortassis superesse alicui videbitur, An non aliquando cum colliquamento seu ichore acri eat ichor mitis? Et, si id accidat, quomodo alter ab altero discernendus sit?*

141. *Illud Gal. docet* 5.Loc. aff.7. *qua de inflammatione hepatis.* Οὐ γὰρ μόνον, *inquit*, οἷα τοῖς ἀτονοῦντος ἥπατος ἕλκειν ἐφ' ἑαυτῷ τροφὴν, εἴρηται διαχωρεῖσθαι, τοιαῦτα καὶ τούτοις ἐκκρίνεται. ἀλλὰ φανεῖται γε ἡμῖν ἐπιμεμίχθαι τὶς ὡς ἐκ φλεγμονῆς ἰχὼρ. Neque enim talia solummodo excernuntur, qualia, cum hepar præ imbecillitate cibum attrahere non potest, excerni dictum est: sed videbitur nobis permistus etiam esse ichor, qualis ex inflammatione fluere solet.

142. *Hoc* 6. Loc. aff. 5. *qua de suppressis mensibus, videtur mihi indicare, cum ait, sequi illa inter alia febres ardentes*, καὶ οὖρα μελαινόμενα μετ' ἐρυθροῦ τινος ἰχῶρος ὥσπερ εἰ κρεῶν νεοσφαγῶν πλύμασι μίξαις ἀσβόλην, & urinas nigricantes cum ichore quodam rubro, non secus ac si

quis

quis fuliginem miſceret loturæ recentium carnium.

143. *Idem, ſed longe pluribus docet* 8. κ. τόπ. 6. *In colliquationibus, (quod eſt, affectibus calidis hepatis) vacuari* διὰ τῆς γαστρὸς δυσώδη πάνυ χολὴν, παχεῖαν καὶ κατακορῆ τῇ χροίᾳ, καθάπερ ἐν τοῖς λοιμώδεσι πυρετοῖς, per ventrem vacuari bilem craſſam fœtidam ſaturati coloris, quẽadmodum etiam in febribus peſtilentibus. *In affectibus frigidis ejuſdem viſceris*, οὔτε συνεχεῖς ἐκκρίσεις, οὔτε πολλὰς γίνεσθαι, χρονίζειν δὲ τὸ πάθος. Καὶ δι' ἡμερῶν τινῶν καταῤῥεῖν τὴν γαστέρα αὐτοῖς ἀθροώτερον, οὔθ' ὁμοίαν ἐχόντων τὴν δυσωδίαν τοῖς διὰ θερμότητα συντήκουσιν, οὔθ' ὁμοίαν τὴν χροιὰν, ἢ τὴν σύστασιν, ἀλλ' ἧττόν τε δυσώδη διαχωρεῖσθαι τούτοις, ἰδέαν δὲ σεσηπότος αἵματος, οὐ συντετηκυίας ἔχειν σαρκὸς, neque continuas eſſe excretiones, neque copioſas, affectum autem diu durare. Per certa dierum intervalla fluere ipſis alvum copioſius, ſed neque ita fœtere excrementa, atque in colliquationibus fieri ſolet, neque etiam vel colorem vel conſiſtentiam habere ſimilem, breviter, Minus eſſe fœtida, & referre ſanguinem potius putridum, quam colliquatum.

Diffe-

144. *Differunt igitur duo isti ichores substantia, colore, odore.*
145. *Non dissimile quid in externis posse observari, (servata temporum, aliarumque circumstantiarum ratione) certum est. De ulcere enim sphacelato loquens Hipp.* 5. & 7. Epid. t. 61. *fluxisse, ait,* ἰχῶρα γλίσχρον καὶ κολλώδη, ichorem tenacem, quale est gluten. *Et hoc ad substantiam pertinet.*
146. *De vulneribus, quæ leo fecerit, agens Arist.* 9. Hist. 44. *ait fluere* ἰχῶρας σφόδρα ὠχρούς. *Quod Plinius* l. 4. c. 15. *vertit atrum sanguinem. Et hoc colorem notat.*
147. *De malis ulceribus, maximeque, ubi nervo læso inflammatio est secuta, tractans Celsus* l. 5. c. 26. *Pejorem esse ait* ἰχῶρα, *qui multus sit, crassus, sublividus aut subpallidus, glutinosus, ater, calidus, mali odoris, Hoc reliquis addit odorem.*
148. *Sed satis etiam de* ichore acri *Aristotelis. Cum quo quia iterum similitudinem habent humores alii quidam, veniunt aliquando in possessionem nominis.*
149. V. g. *Bilis naturalis, quæ urinam tingit, dicitur Gal.* 1. Cris. 12. βραχὺς ἰχὼρ λεπτὸς ἐκ τῆς πυῤῥᾶς χολῆς, paucus, & is

&cis tenuis ichor ex bile flava. *Nimirum tenuior bilis pars ad renes pervenit*, 5. Vſ. part. 6.

150. *Bilis quoque* præternaturalis, *quæ Cauſum facere conſuevit, Hippocrati & Galeno dicitur* 4. Acut. 1. 4. Aph. 58. δριμὺς καὶ χολώδης ἰχὼρ, acer & bilioſus ichor. *Qui ipſe* Acut. 1. 3. ſeq. δριμὺ καὶ θερμὸν ῥεῦμα *dicitur*, acris & calidus fluxus. *Interim & pituitæ ſalſæ, quæ Cauſum nothum facere poteſt, applicari poteſt locutio.*

151. *Et ne mireris, pituitæ ſalſæ (quæ calida tamen eſt,) id tribui, audi, revera frigidis humoribus competere etiam hoc nomen. Nam* 6. San. tu. 10. *agens de inæquali ventriculi ſtatu, defluere ait ex capite* ἰχῶρας *modo* θερμοὺς, calidos, *modo* ψυχροὺς καὶ φλεγματικοὺς, frigidos & pituitoſos.

152. *Non ſolum ex capite, ſed ex toto habitu fieri tale quid, didiceris ex* cap. 9. præced. *Agens enim de debilitate ventriculi, quomodo ille roborandus ſit cibis, antequam mali quid accidat*, Niſi id fiat, *inquit* καταῤῥέουσιν ἰχῶρες εἰς αὐτὴν, οὓς ἀθροίζει τὸ σῶμα περιττοὺς, confluunt ad illum ichores, quoſcunque corpus colligit ſuperfluos.

Et ne

153. *Et ne putes, ſolam bilem, de qua ibi, id facere, accipe, quod idem* Gal. 3. Fac. nat. 13. *docet, Famis tempore influere in ventriculum* ἰχῶρας τινὰς χολώδεις τε καὶ φλεγματώδεις καὶ ὀῤῥώδεις, ichores quoſdam bilioſos, & phlegmaticos, & ſeroſos, *quos ſolos, addit, ventriculo trahenti hepar mittit.*

154. *Rurſus, ne id ipſum à ſolo hepate fieri credas, accipe iterum quod* 2. Progn. 13. *dicit,* οὐ μόνον τὸ ἧπαρ ἑαυτοῦ τινὰ περιττώματα καὶ ἰχῶρας, καὶ χυμοὺς παρὰ φύσιν εἰς τὴν γαστέρα παραπέμπει, ἀλλὰ τοῦ σώματος ὅλου, non hepar tantum ſua ipſius excrementa quædam & ichoras & humores præternaturales in ventriculum mittit, ſed & totius corporis excrementa eo eunt. *Inter hos autem eſſe frigidos quoſdam, ſi dubitas, vide ſis* 14. uſ. part. 14. *ubi nominatim ponitur* pituita.

155. *Quod ventriculo facit* hepar: *idipſum eidem facit* lien. *Galenus enim* 5. Loc. aff. 6. *agens de Melancholia hypochondriacâ, docet, ſiquidem affectus ſit lien, labi ex illo in ventriculum* μοχθηρὸν ἰχῶρα, pravum ichorem. *Hunc autem & calidum & frigidum eſſe poſſe, pariter neſcio an poſſit dubitari.*

156. *Quemadmodum etiam ab utroque fieri*

fieri possunt αἱ διαδέξεις τῶν ὑποχονδρίων, transsumtiones humorũ in hypochondriis, *de quibus &* Gal. 2. in 6. Epid. 28. *Vbi hoc inter alia dicitur,* διαδέχεσθαι ἐξ ἥπατος σπλῆνα, καὶ τἀναντία, Transumere & recipere lienem ex hepate, & vicissim hepar ex liene.

157. *Consensus etiam Medicorum est, quem confirmat magnum Hipp. argumentum* Curatio: *Cutis vitia pleraque esse ab ichoribus vel calidis vel frigidis, in intimo genitis, & ad superficiem delatis.*

158. *Exemplo sint tumores illi aquei, quos* ἰχῶρας *vocat Hipp.* 2. Epid. initio. *Sint & impetigines, quas* Gal. 5. *κ. τόπ.* 4. *ait fieri,* μεμιγμένων τῶν ἰχωροειδῶν τε καὶ λεπτῶν καὶ δριμέων τοῖς παχέσι, mistis excrementis ichorosis tenuibus & acribus cum crassis.

159. *An omnes hi dicuntur* Ichores *ob defectum proprii nominis? Cum enim omnes sint ex corruptione; ejus autem modi tam sint varii, ob materiæ varietatem, ut vere indicibiles sint: commode ab artifice vocantur uno vocabulo. Ita* 3. Fac. nat. 12. μοχθηροὶ ἰχῶρες, pravi ichores *dicuntur, in quos fœtus in utero putrefactus degeneravit. Ita apud Diosc.* l. 3. cap. 25. *de absinthio sunt* τὰ ὦτα ἰχωροῦντα, aures ex ul-

ex ulcere fluidæ. *Ita apud Hipp.* in Coacis Com. 1. ſect. 3. Aph. 20. *ſunt fiſtulæ* ἰχωροῦσαι, perpetuo madentes:

160. *An ex hac cauſa etiam artificialibus tribuitur? Galenus enim* 6. Meth. 3. *agens de lotura medicamentorum metallicorum, ait, ex omnibus his* δριμεῖς καὶ δακνώδεις ἰχῶρες ἐκκλύζονται, acres & erodentes eluuntur ichores. *Mihi heic libet quieſcere, ne dicatur mihi, neſcire me manum de tabula.* Non minus enim peccatum eſt nimia curioſitas, quam ſupina negligentia. *Cujus ut damnem quẽquam ex majoribus noſtris, immane quãtum abeſt à moribus meis, quos ſatis notos habent omnes, qui me norunt. Quæ vero huc congeſſi occaſione mihi præbita à Præceptore optimo maximo, ea ſervire velim abſque ambitione utilitati publicæ. Huic enim me natum eſſe, Cicero olim docuit me puerum. Si putes de re tantilla nimis multa eſſe dicta, revocabo tibi in memoriam ſanitatis pulcritudinem, quæ omnia in arte noſtra etiam turpicula tegit. Et ſi ullibi, veriſſimum eſt heic Fabii illud,*

Satius eſt aliquid narrationi ſupereſſe, quam deeſſe.

FINIS.

INDEX.

A.

 Ana-

C.

D.

E.

Hydro-

I.

teriis

Melan-

N.

O.

P.

Para-

Rrapha-

San-

Σπλήνια

T.

Vacua-

V.

Vlce-

FINIS.